
12383
Bo 4540
cop. 1



QUAESTIONES

ETYMOLOGICAE ET GRAMMATICAE

DE

USU ET VI DIGAMMATIS

EIUSQUE

IMMUTATIONIBUS IN LINGUA GRAECA.

SCRIPSIT

JOH. PETERS

PHIL. DR. GYMNASII CULMENSIS COLLEGA.

PROSTAT LIPSIAE IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

BEROLINI TYPIS LANGIANIS.

MDCCCLXIV.

1864

Printed in Germany

QUAESTIONES

ETYMOLOGICAE ET GRAMMATICAE

DE

USU ET VI DIGAMMATIS

EIUSQUE

IMMUTATIONIBUS IN LINGUA GRAECA.

SCRIPSIT

JOH. PETERS

PHIL. DR. GYMNASII CULMENSIS COLLEGA.

PROSTAT LIPSIAE IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

BEROLINI TYPIS LANGIANIS.

MDCCCLXIV.

Cum procul Berolino, in qua urbe hic libellus typis expressus est, absim, vitia typographica iterum iterumque corrigere mihi licitum non erat. Quare benevolos lectores rogo, ut, antequam libro utantur, ipsi corrigant haec vitia:

pag. 1 lin. 3 legas *Homericorum.*
„ 4 „ 21 „ σεπτά.
„ 6 „ 8 „ ἀϝνός.
„ 6 „ 14 „ *exscripsit.*
„ 6 „ 14 „ *scriptum esse* pro *scriptum est.*
„ 6 „ 15 „ *inter se.*
„ 6 „ 18 post „*gaudio*“ deleas comma.
„ 10 „ 25 post „*quaeramus*“ deleas „*vocemus*“.
„ 13 „ 11 legas ἔργον.
„ 14 „ 23 „ ἕλκω.
„ 16 „ 30 post „*crinis*“ deleas comma.

Postquam Bentleius, quae eius erat sagacitas, vestigia digammatis literae apud Homerum primus vidit et voces, quae sententia eius digammate initiali utuntur, ad marginem editionis carminum Homericarum, quam diligentiae et studiis H. Stephani debemus[1]), rettulit, multi viri docti de usu et vi digammatis cum in dialectis Graecis tum maxime apud Homerum egerunt. Magna temeritate usi et iusta ratione reperiendi digammatis in carminibus Homericis destituti Payne-Knightius et Heynius in eam rem inquisiverunt, quippe qui plurimis vocibus spiritu aspero instructis argumentis nitentes levissimis digamma tribuant[2]), quamquam Heynio contigit, ut non modo codice illo Bentleiano, sed etiam quaestionibus a Bentleio de illa litera institutis, typis non expressis uteretur. Quamobrem fieri non potuit, quin viri doctissimi totam illam de digammate Homerico doctrinam impugnarent, ex quibus Fr. Aug. Wolfius non magis simultate in Heynium, quam falsa eius ratione digammatis indagandi ductus et Spitznerus nullum omnino digammatis vestigium apud Homerum agnoscens Heynii quaestiones de illa litera acerbissime reiciunt. Quorum quidem sententiam falsam esse, postquam Thierschius et G. Hermannus[3]) de hac re acutissime egerunt, nemo non videt, neque parvi aestimanda sunt ea, quae Buttmannus et Boeckhius ad usum digammatis cognoscendum attulerunt[4]). Iam vero dubium non est, quin etiam ex dialectis Graecis et inscriptionibus antiquissimis multa repetenda sint, quibus iudicium de digammate Homerico confirmetur. Quare omnibus iis, qui usum et vim digammatis cum apud Homerum, tum in universa lingua Graeca cognoscere volunt, Corpus Inscriptionum Graecarum illud a Boeckhio confectum et libri, quos Ahrensius vir summa doctrina ornatus de dialectis Graecis conscripsit, magno usui sunt. Praeter illos viros doctos maxime de hac re difficillima et de tota arte metrica Homeri meritus est C. A. Hoffmannus libro illo, qui inscribitur: „Quaestiones Homericae.“ Qui postquam magna cum doctrina de caesuris et numeris versus Homerici, tum de legibus hiatus, quas Homerus secutus sit, denique de syllabis finalibus brevibus, quibus in produ-

---

1) Carmina Homerica sunt in editione poetarum princip. heroic. Lutet. Paris. 1566.

2) Cf. Payne-Knight.: Analytical Essay on the Greek Alphabet (Lugd. 1791). Proleg. ad Homer. praefatus est Ruhkopf. — Heyne: Excurs. in Il. τ, 334 (T. VII, p. 708—772); de antiqua Homeri lectione indaganda, iudicanda et restituenda, Comm. Soc. Gott. T. XIII.

3) Cf. Thiersch. Grammat, § 160 sqq. Herm. ad hymn. in Vener. v. 86.

4) Cf. Buttmann, Lexil. Boeckh: Ueber die Versmaasse des Pindar IV.; de metr. Pind. c. XVII.

cendis ab usu poetarum reliquorum fere recedere videatur Homerus, disputavit, et ex productionibus vocalium longarum seu diphthongorum ante voces, quae a vocali incipere videntur, et ex hiatu non ferendo, qui inter binas voces est, et ex productionibus syllabarum finalium brevium in consonam exeuntium demonstrat, quibus vocibus digamma q. v. initiale concedendum sit. Sed in tota ea quaestione id sibi proposuit, ut ex arte metrica maximeque ex usu digammatis apud Homerum probaret, carmina Homerica diversis aetatibus originem debere et carmina Iliaca, quae maxime in quaestionem vocat, ad sex aetates pertinere. Attamen vereor, ne tota argumentandi ratio Hoffmanni vestigia Lachmanni prementis claudicet. Putat enim vir doctus [1]), omnes voces, quas a digammate incepisse ex certis locis demonstrari possit, per totam Iliadem omnibus locis, qui illas voces offerunt, ea litera uti, quae partes Iliadis eam legem non sequantur, eas seriori aetati esse dandas, nisi loci facili coniectura sanari possint. Sed quamquam concedo, a rhapsodis digammatis literae ignaris multos versus carminibus Homericis insertos, alios mutatos esse, saepissimeque digamma omittendis vocibus monosyllabis, quales sunt ῥά, γέ, δέ, τέ, κέ vel abiciendo ν ἐφελκυστικῷ vel mutandis vocibus οὐκ (οὐχ), ἐξ, εἰς in οὐ, ἐκ, ἐς restitui posse, tamen mihi persuaderi non potest, usum digammatis apud Homerum constantem et certum fuisse, ita ut digamma impediat quidem correptionem et elisionem, contra syllabas breves, quae in consonas cadunt literas, efficiat quasi ancipites [2]). Iam Homeri temporibus usum digammatis parum constantem certumque fuisse, ex eo apparet, quod in mediis vocibus paucissima tantum eius literae vestigia reperiuntur. Ut ante voces, quae a litera liquida incipiunt, haud raro breves syllabae finales producuntur, quum liquidas in multis vocibus antiquitus sigma vel litera gutturalis praecessisse videatur, ut literae σ, π, τ in iisdem vocibus modo simplices, modo duplicatae leguntur, neque Homerus certam legem sequitur, sic etiam usus digammatis, quod iam eo tempore magis magisque evanescere coeperat, minime constans fuit. Atque apud Dorienses, qui digamma e vetustissima lingua non modo in initio vocum sed etiam in mediis vocibus, quum in Iade et Atthide diu obsolevisset, usque ad quintum fere seculum a. Chr. n. retinuerant, usus eius literae parum certus et constans est, id quod non modo ex carminibus Alcmanis et Pindari, sed etiam ex inscriptionibus apparet. Neque magis certa regula in usu digammatis apud Aeoles regnat, ut inscriptiones et carmina Alcaei, Sapphus al. docent [3]). Dum apud Homerum aliae voces digamma servant, aliae eiusdem stirpis id plane amiserunt. Et in Iliade et in Odyssea multae voces, quae digammatis tenacissimae sunt, vel iis locis, quibus nulli antiquiores et meliores esse videntur, omnia vestigia eius literae abiecerunt. Ita voces ἰδεῖν, οἶνος, εἰπεῖν, ὅς (suus), οἶκος, ἔργον, ἄναξ et in Odyssea et in Iliade digammate haud raro carent [4]). Iam Ilias et Odyssea usu digammatis nihil inter se differunt. Nominibus propriis omissis, eaedem voces, quae in Iliade a digammate incipiunt, in Odyssea illa litera utuntur, neque usus eius in ulla voce Iliadis firmior est, quam Odysseae. Ne multa, tota arte metrica, tota ratione dicendi Ilias et Odyssea magis consentiunt, quam carmina nostra de Nibelungis et de Gudruna, ut alio tempore expositurus sum;

---

[1]) Cf. Quaest. Homer. § 204. [2]) Cf. Hoffmann l. l. § 160.

[3]) Cf. Ahrens. de dial. Dor. p. 396; de dial. Aeol. p. 138, 172.

[4]) Cf. Od. V, 220, VI, 311, VII, 234, VIII, 146, 466, XI, 61, 162, 273, XIV, 36, XVII, 313, 374, XVIII, 352, XIX, 22, XXII, 34, XXIII, 8, XXIV, 208. Il. II, 269, III, 224. IV, 240, 516, VII, 277, 467, VIII, 6, XI, 704, XVII, 155, XVIII, 545 al.

eaedem leges hiatus et caesurarum, eaedem productiones brevium syllabarum finalium in utrisque carminibus Homericis reperiuntur. Quum igitur digamma apud Iones iam antiquissimis temporibus evanuisse constet eiusque usus in initio singularum vocum ne in carminibus quidem Homericis certus et constans sit, neque inter singulos libros Iliadis et Odysseae, quod ad usum digammatis et artem metricam attinet, discrimen ullum intercedat, equidem contra Hoffmannum contenderim, Iliadem et Odysseam eadem aetate confectas esse. Quomodo autem ea carmina orta sint, ex Homero ipso optime intelligas.

Vides enim ex carminibus Homericis, praecipue ex libro octavo Odysseae, iam ante Homerum magnum numerum carminum minorum, quibus laudes antiquorum heroum et res a singulis gentibus gestae celebrarentur, fuisse. Quae carmina Homerus vocat κλέα ἀνδρῶν [1]). Multa carmina eiusmodi in Iliade et Odyssea commemorantur. Talibus enim carminibus multis annis ante Homerum cantabantur bella Centaurorum et Lapitharum [2]), Thebanorum et Argivorum [3]), expeditio Argonautarum [4]), bellum Curetum et Aetolorum [5]), res gestae Meleagri [6]), Bellerophontis [7]), Heraclis [8]), Melampi [9]), Persei [10]), Nestoris [11]). Magnum numerum illorum carminum, quae sunt κλέα ἀνδρῶν, ad bellum Troianum spectavisse, ex Homeri carminibus luculentissime apparet [12]); κλέα ἀνδρῶν eiusmodi apud Homerum recitant Demodocus et Phemius [13]). Poetae autem erat, illa carmina (κλέα ἀνδρῶν), quae ei tradita erant, arte in totum quoddam redigere. Itaque κλέα ἀνδρῶν, ut Homeri vocibus utar, in οἶμην coniungebantur [14]). Ex magno igitur numero illorum carminum minorum, quibus nomen erat κλέα ἀνδρῶν, vel ab uno poeta, vel a pluribus societate coniunctis Ilias et Odyssea, maximae quasi οἶμαι dictione antiquissimorum illorum carminum, quae in ore populi erant, mutata ea ratione confectae sunt, ut singula carmina arctissime inter se cohaererent et totum quoddam efficerent. Ita factum est, ut in Iliade eadem ars metrica, eadem ratio dicendi sit atque in Odyssea. Quamquam postea magna illa carmina a rhapsodis et interpolatoribus valde esse mutata non negaverim. Licet igitur Hoffmannus ex digammate Homerico, quod ad originem carminum Iliacorum attinet, nimium probare studeat, tamen id quaestionibus acutissime peractis assecutus est, ut omnes, qui Homerum digamma ignorare contendunt, poetam summum vere dormitantem, qui prosodiae et hiatus legum nullam rationem habeat, facere manifestum sit. Neque minores fructus ex quaestionibus de usu et vi digammatis in eam partem grammaticae, quae ad originem et declinationem vocum spectat, redundant. Etenim qui cognitum habet, vocem ἡδύς, ut exemplum adhibeam, antiquitus a digammate incepisse, νήδυμον illum ὕπνον, qui (pro Ϝήδυμος ὕπνος) duodecim locis Homeri [15]) occurrit, εἰς Ἔχετον βασιλῆα mittet, neque magis probabit Aristarchi interpretationem, qui minus fere quam Zenodotus et Aristophanes de ratione originis verborum indagandae meritus νήδυμος voce ἀνέκδυτος interpretatur, quam Doeder-

1) Cf. Od. VIII, 73; Il. IX, 524. 2) Cf. Il. I, 263; Od. XXI, 295.
3) Cf. Il. IV, 375, 405; VI, 233; X, 286. 4) Cf. Od. XII, 70. 5) Il. IX, 530.
6) Il. IX, 544. 7) Il. VI, 168—212. 8) Od. XI, 601—616; Il. XIX, 115.
9) Od. XV, 225. 10) Il. XIV, 320. 11) Il. VIII, 192; XI, 670—675.
12) Cf. Od. XII, 191. 13) Cf. Od. VIII, 44, 490, 495 sqq. 514. 14) Cf. Od. VIII, 73, 480; XXII, 347.
15) Cf. schol. ad Hom. Il. II, 2; Etym. M. s. v. νήδυμος; Doederlein Hom. Gloss. I, pag. 50; Lobeck. Path. I, 115; Buttm. Lexil. I, 179 sqq. Qui lectionem νήδυμος retinere vult, ei succurrit acuta illa interpretatio a Bernhardtio (Griech. Etymologien, p. 4, progr. gymn. Wiesbad. 1862) proposita, qui vocem νήδυμος compositam esse existimat ex νη privativo et δύη (dolor, cura, miseria), ita ut ὕπνος νήδυμος sit somnus curis vacuus.

lini sententiam, qui vocem νήδυμος ex ἥδυμος et νη intensivo, quod sibi finxit, compositam esse statuit; minime vero Lobeckii sententiam in voce νήδυμος ν pleonasticum inesse iudicantis amplectetur.

Patet autem, de hac re non posse agi, nisi linguae cognatae in comparationem vocentur. Multa quidem ad hanc quaestionem peragendam contulerunt Boppius, Schleicherus, Benfeius, Pottius, quorum vestigiis insistens monumentis librisque Graecis non neglectis G. Curtius vir summa doctrina et admirabili sagacitate instructus in libro, qui inscribitur: „Grundzüge der Griechischen Etymologie“ cum de aliis literis, tum de digammate agit. Quo duce de digammate sic disputare nobis proposuimus, ut primum de usu et vi digammatis initialis q. v., tum de digammate, quod post vocales et in mediis vocibus legitur, eiusque immutationibus quaereremus; in qua quaestione carminum Homericorum, in quibus J. Beckerus acutissimo quidem iudicio insignis nuperrime digamma restituere conatus est, quamquam saepe iusto audacius Homero illam literam tribuit, maximam rationem habendam esse, quis est, qui neget?

I.

DE DIGAMMATE, QUOD IN INITIO VOCUM REPERITUR.

Digamma (vau Latinorum) recte dicitur spirans litera labialis, quum labris efficiatur. Aliae literae spirantes, quae nunc dicuntur, sunt s, j, h, e quibus s efficitur dentibus, j consona palato, h gutture. Quae literae spirantes mediae sunt inter literas mutas et vocales; cum mollissimae sint, facillime obliterantur. Atque h litera spirans, quae differt ab litera h aspirata, et in initio et in mediis vocibus iam antiquissimis temporibus evanuit. Litera ς, quamquam spirantium firmissima est, tamen in initio vocum saepissime in spiritum asperum abiit. Ita oritur ἕδος ex σέδος, ἕπομαι ex σέπομαι, ἕρπω ex σέρπω, ἑπτά ex σέπτά, ῥέω ex σρέϝω. Etiam in mediis vocibus σ saepissime obliteratum est; ita dicitur γένεος pro γένεσος (a rad. γένες, sanscr. ǵanasas, lat. generis pro genesis), ἠριγένεια pro ἠριγενεσια, αἰδόος pro αἰδοσος, αἰδοῖος pro αἰδοσjος, ὁμοῖος pro ὁμοσjος, ἀνέμοιο pro ἀνεμοσjο, ἀληθέος pro ἀληθεσος, ἀλήθεια pro ἀληθεσια, Ἄρπυια pro Ἁρπυσια, Ὠρείθυια pro Ὠρειθυσια, νυὸς pro σνυσος, ἀγγελέω (ἀγγελῶ) pro ἀγγελέσω, κομιῶ pro κομισέω (i. e. κομισjω), εἴην pro ἐσίην. Litera j in initio vocum in spiritum asperum abiit (cf. ἧπαρ, sanscr. yakrt ex yakart, lat. jecur), vel litera δ assumpta in ζ mutata est (cf. ζύγον = jugum). In mediis vocibus saepissime evanuit (cf. τιμάω, δουλόω, ποιέω pro τιμαjω, δουλοjω, ποιεjω); neque raro in ι vel ε abiit (cf. τέλειος ex τελεσjος, πλευσοῦμαι ex πλευσjομαι). In multis vocibus ex j litera δ adiecta ζ ortum est, ut in σκευάζω i. e. σκευαδjω pro σκευαjω; non raro ex ζ, quod tali modo ortum est, j litera abiecta fit δ; si j sequitur liquidas, assimilatione adhibita in liquidas abit (cf. ἀγγέλλω pro ἀγγελjω), praecedente σ in σ mutatur (cf. ἔσσομαι ex ἐσjομαι), ex τj, θj, κj, χj fit σσ (vel ττ), ex δj, γj oritur ζ (cf. λίσσομαι pro λιτjομαι, θάσσων pro ταχjων, ἧσσων pro ἡκjων, ἄνασσα pro ἀνακja, πρόφρασσα pro προφραδja, κομίζω pro κομιδjω, μείζων pro μεγjων)[1].

[1] Cf. Curtius Gr. Etym. II, p. 176—250.

Hisce praemissis, de digammate accuratius agamus. Cui literae consonae infirmissimum et vocali u similem sonum fuisse iam ex eo apparet, quod etiam in linguis cognatis v consona saepissime in u vocalem abire solet. Et constat, Graecos posteriore aetate pro u consona Latinorum ου scripsisse, qui sonus apud Aeoles et digammati et vocali υ fuisse videtur[1]). Quid igitur mirum, quod iam antiquissimis temporibus vocalis υ in initio vocum pro digammate adhibita est? Ut iam in lingua Sanscrita ex va haud raro u efficitur, sic etiam apud Graecos in nonnullis vocibus ex Fα et Fο υ oritur. Ita ὕδος, ὕδωρ, ὑάδες ad radicem Fαδ (sanscr. vad. s. vand) pertinent (cf. goth. vato, germ. vet. wazar); etiam in lingua Sanscrita uda ex vada ortum est, ut uru (εὐρύς) ex varu, ulkā (torris) ex valka (cf. Vulcanus), ulva (cavum) ex valva, urnā (lana) ex varnā, uktas (dictus) ex vaktas; ὑφαίνω (ὑφή, ὕφος, ὑφάω) ex Fαφαίνω oritur, quo fit, ut perfectum sit ὑφήφασμαι (cf. sanscr. vabh, germ. vet. weban); ὕπνος pro Fάπνος dicitur (cf. sanscr. svapnas, lat. somnus pro sopnus, a rad. svap.). — Urbs Elea, cuius nomen deducendum est a Fέλος, apud Herodotum I, 167 Ὑέλη dicitur; Hesychius refert Paphios pro veste ὕεσις et ὑεστάκα dixisse et glossas ὑάλη (pro Fάλη i. e. vermis) ὑάλεται (pro Fάλεται, a rad. Fαλ sive Fελ volvere), ὑίην (ἄμπελον pro Fίην) ὑιόν (ἀναδενδράδα pro Fιόν; cf. Foῖνος, vitis a rad. vi), ὑίλη (pro Fίλη i. e. ἴλη) ὑρηγαλέον (pro Fρηγαλέον) exhibet[2]).

Digamma iam priscis temporibus in initio vocum in ο mutatum esse verisimile est; videtur enim vocali υ antiquitus sonus vocalis u fuisse; cum vero vocales u et ο cognatae sint, F non minus in ο, quam in υ solvi poterat. Ὄαξος (urbs Cretica) legitur pro Fάξος; cf. C. Inscr. II, 401, (C. I. 3050 Fαύξιοι memorantur); Οἰάνθη, urbs Laconica, pro Fιάνθη dicitur, cum Plutarchus eam Ὑανθέαν appellet; scripturam Οἰλεὺς pro Fιλεὺς libri Il. XI, 44 praebent, quamquam Zenodotus Ἴλεὺς, Ἰλιάδης offert; nomina urbis Laconicae Οἴτυλος et urbis Creticae Ὄλισση (idem nomen est Βλισσή) eodem modo ο pro F ostendunt, neque dubium est, quin ο pro F litera in vocibus ἀλοάω (pro FαλFάω) δοὰν (pro δFαν), δοάσσατο (δέατο, a rad. sanscr. div) δοιοί (pro δFιοὶ), ζόασον (pro σβέσον) legatur.

Digamma in vocalem ι abiisse negaverim; ubi ι pro litera F invenitnr, errore vel inscitia librariorum scriptum est.

Hoffmannus putat digamma in initio vocum saepius in ε mutatum esse et eam sententiam ex vocibus Homericis ἔεδνα, ἐειδόμενος, ἐείκοσι, ἐειρόμενος, ἐέργει simill. probare studet. Sed ε in iis vocibus nihil est nisi ε prostheticum, quod, ut ο et α, saepissime ante literas liquidas et digamma legitur, ut voces ὄνομα, ὀμόργνυμι, ὀμιχλέω, ἀστὴρ, ἄστρον (sanscr. staras, lat. stella), ἐρυθρὸς, ἐρεύγω al. docent. Ita α prostheticum legitur in his vocibus digammate instructis: ἄεθλον (pro ἄFεθλον), ἀείρω (ἀFείρω) ἄερσα (Cretes ea forma pro ἐFέρση i. e. ἔρση usi sunt), ἄλοξ (pro ἄFλοξ). Minime vero ει ex ἐF oritur, ut Hoffmannus opinatur[3]).

Digamma rarissime in consonas duriores abire, facile patet, cum consonae, ut vocales graviores in leviores mutantur, in molliores abire soleant. Neque vero negari potest, digamma apud Lacones in multis vocibus sonum literae β habuisse, quum Hesychius multas voces litera

---

1) Cf. Dion. Hal. Antiq. I, 20; Becker. Anecd. 777. C. L. Schneider: Ausf. Gramm. d. lat. Spr. p. 358 sqq. Corssen: Vocalismus etc. I, p. 133.

2) Cf. Curtius l. l. II, p. 138 sqq. Pohl. de digam. Homer. carminib. restituendo I, p. 13 sqq. (progr. g. Vratisl. 1854.)

3) Cf. Hoffmann. Quaest. Hom. § 142 sqq. Curtius l. l. p. 152 seq. Pohl. l. l. p. 21 seq.

β scriptas tradat, in quibus β pro ϝ legitur[1]). Etiam apud Lesbios ante ρ literam β pro ϝ invenitur, ut ex vocibus βρόδον, βρίζα al. cognoscitur. Atque βούλομαι ad radicem ϝολ pertinet et cum *volo* cognatum est, quippe cum Graeci sonum ϝο respuisse videantur.

Cum semivocales et liquidae facillime inter se permutentur[2]) (cf. sanscr. vāri, lat. mare; sanscr. dravâmi, gr. δρέμω), concedendum est fieri potuisse, ut digamma in consonas liquidas mutaretur. Ita μάλλος cum voce vellus, μάρπτω cum sanscr. vark (vṛkas, lupus) cohaeret. Hesychius tradit, μάλευρον pro ἄλευρον (i. e. ϝάλευρον, a rad. ϝαλ) μολπίς pro ἐλπίς (i. e. ϝελπίς) dici; ἀμνός ex ἀϝνός oritur.

Buttmannus et Giesius putant digamma in nonnullis vocibus in γ mutatum esse, quorum sententiam non omnino improbat Curtius[3]). Hesychius enim glossas praebet γῆμα, γέμμα pro εἶμα, γέτος s. γέτορ pro ἔτος, γέντο[4]) pro ϝέλετο i. e. ἕλετο (ut κέντο Aeoles dicunt pro ἐκέλετο) simill. Cum vero eae glossae fere omnes ex dialectis Aeolicis et Doricis, in quibus eas voces a digammate incepisse constat, repetitae sint, recte Ahrensius iudicat[5]), inscitia eius, quem Hesychius ex scripsit, in iis vocibus γ pro ϝ scriptum est. Atque signa literarum Γ, ϝ, Τ, Σ saepissime interse mutata sunt. Ita Ζεὺς ϝελχανὸς Cretensium ab Hesychio Ζεὺς γελχανὸς dicitur. Qui deus cum fingatur iuvenilis et imberbis, qui arboribus fronde viridi ornatis circumdatus et gallum dextra tenens in trunco arboris laetus sedeat[6]), putaverim vocem ϝελχανὸς cohaerere cum radice sanscrita valg, quae significat *salire, gaudio, exsultare*, unde valgu (i. e. pulcher) descendit[7]).

Non credibile est, digamma in alias consonas duriores abiisse. In errore enim versantur, qui φ et π literas in initio vocum saepe ex digammate ortas esse arbitrantur. Neque ex v consona linguarum cognatarum φ ortum est. Quamquam enim φένω (φόνος, φονεύς, funus) cum sanscr. radice van (ferire, occidere) cohaerere videtur, tamen radix van, ut han (occidere), e dhan exorta est; adde, quod pro van iam in lingua sanscr. ban invenitur. Vox φωνὴ (ex σφωνή) deducenda est ad radicem sanscr. svan vel van, i. e. sonare (svanas = sonus pro suonus), sed litera σ, a qua antiquitus ea vox incepit, efficitur, ut ϝ in φ abeat[8]), de quo v. infra. Voces Πάξος pro ϝάξος, πόλχος pro ϝόλχος i. e. ὄχλος non minore errore scribuntur, quam ἀμπέσαι, quod verbum Hesychius Laconibus pro ἀμφιέσαι tribuit; legendum est ἀμϝέσαι, cum Dorienses ἀμ pro ἀμφὶ adhibuisse videantur[9]). Attamen dubitari non potest, quin fieri potuerit, ut duriores literae labiales cognatarum linguarum in digamma saepius abirent, id quod ex linguis quae vocantur Romanae intellegitur, in quibus non raro p et b in v mutantur[10]). Posteriore aetate digamma plurimarum vocum in spiritum lenem mutatum est, sed recte Curtius contendit digamma, priusquam eam mutationem subierit, in spiritum asperum abiisse, qui in multis vocibus solus reperitur (cf. ἕσπερος, ἑκών, ἑστία), in aliis radicibus una cum spiritu leni servatur (cf. ἔννυμι, εἶμα, ἐσθής, ἰδεῖν, ἱστορία) [11]). Simili modo f, ph, v in linguis Romanis in h mutari solent[12]).

---

1) Cf. Ahrens de dial. Dor. p. 45. 2) Cf. Bopp. Vergl. Gramm. § 20; Diez, Gramm. d. Roman. Spr. I, p. 207.
3) Cf. Buttm. Lexil. II, p. 167; Giese de dial. Aeol. p. 293 seq. Curtius l. l. II, 171 seq.
4) Bernhardt. l. l. γέντο reducit ad rad. γεν, quae eadem sit atque γερ et γελ (sanscr. gar, gṛ rapere), a qua radice descendere videtur ἀγείρω pro ἀγεριω.
5) Cf. Ahrens. de dial. Dor. p. 52. 6) Cf. Welcker, Griech. Götterlehre II, p. 244 seq.
7) Fortasse ϝελχανὸς a rad. ϝεχ deduxeris, a qua descendit Creticum ϝόλχος pro ὄχλος.
8) Cf. Bopp. Gloss. sanscr. s. v. van. et svan. 9) Cf. Ahrens, de dial. Dor. p. 347.
10) Cf. Diez, Vergl. Gramm. d. rom. Spr. I, p. 256, 259, 267. 11) Cf. Curtius l. l. II, p. 254.
12) Cf. Diez l. l. I, p. 262, 349.

Iam enumeraturis nobis radices, quae apud Graecos antiquitus digammate initiali usae sunt, ab iis ordiri placet, quae antiquissimis temporibus in initio vocum literas σϝ habuerunt. Constat autem, linguam Graecam magis quam linguas Germanicas et Slavicas a sono sv abhorrere, quo fit, ut digamma praecedente litera σ haud raro abiciatur, id quod fit in voce σομφὸς pro σϝομφός (goth. svamms)[1]), in σιγή, σιγάω, σιγηλός, quibuscum vocibus compares, quaeso, verbum swîgên Germanorum medii aevi, in v. σεύω pro σϝεύω[2]) (germ. vet. swebên), in v. σάλπιγξ pro σϝάλπιγξ (descendit cum vocibus σύριγξ, συρίσσω a rad. svar, sanscr. svṛ, cui notio sonandi inest[3]). In nonnullis vocibus ϝ literam σ subsequens abit in duriores literas labiales π vel φ, ut non modo dualis pronominis συ, pronomen possessivum σφωίτερος, casus dualis et pluralis pronominis personalis tertiae personae, pronomina possessiva σφὸς, σφέτερος docent, sed etiam voces σφόγγος, σπόγγος, σπογγιά[4]); σφηξ metathesi oritur ex ϝεσπακ (lat. vespa, germ. vet. wefsa). Haud raro autem σ ante digamma abiectum est, ut glossae Hesychii ἴγα, ῥίγα (pro ϝίγα) σιώπα probant. Cum vero ϝ paullatim evanesceret, factum est, ut in multis vocibus pro σϝ spiritus lenis solus inveniatur. Tales voces sunt ἄσμενος, ἥδος, ἔθος, ἦθος, ἰδίω, ἴδιος. Hisce expositis singulas radices digammate ornatas recenseamus.

A radice sva (σϝε, σϝο, sanscr. sva, send. q'a, hva) descendunt pronomina tertiae personae. E rad. σϝε igitur σ abiecto ortae sunt voces ϝοῦ, ϝεῦ, ϝέο, ϝεῖο, ϝέθεν (sanscr. svatas), ϝοῖ, ϝέ, quae in carminibus Homericis sexcentis locis occurrunt Ad eandem radicem pertinet pronomen possessivum ὅς, ἥ, ὅν pro σϝὸς, σϝή, σϝόν (sanscr. svas)[5]), quod digammate ornatum σ omisso apud Homerum saepissime legitur. Cum vero sonus literarum σϝ aures Graecorum offenderet, radix σϝε inserto ε in σεϝε mutata est, ut ex τϝε, stirpe pronominis possessivi secundae personae, τεϝε (τεὸς) factum est[6]). Quoniam autem spiritus asper partes literae σ initialis suscepit, formae Homericae ἑϝοῦ, ἑϝοῖ, ἑϝέ ex σεϝου, σεϝοι, σεϝε oriuntur; simili modo ab eadem stirpe σεϝε descendit pronomen ἑϝός, quo Homerus multis locis utitur. Eodem modo Dorienses a σεϝε formas ἑοῦς, ἑΐν, ἑός deducunt, ut a τεϝε τεοῦς, τεοῦ, τεΐν[7]). Cum vero ϝ praecedente litera σ facillime in φ abeat, ex radice sva stirpes σφο et σφι exortae sunt, ad quas pertinent pronomina possessiva σφὸς, σφέτερος, sicut casus dualis (σφωέ, σφωίν) et pluralis (σφεῖς, σφῶν e σφείων s. σφέων, σφίσι, σφᾶς e σφεῖας). Lacones ante φ literam σ in pronomine φιν (pro σφιν) omiserunt[8]). Etiam in vocibus σφῶϊ, σφῶϊν (pro τϝῶϊ) dualis pronominis secundae personae et in pronomine possessivo σφωίτερος ϝ in φ abiit, postquam τ in σ mutatum est. Casus n. singularis pronominis συ vel τυ (sanscr. tva) praeter nominativum, in quo ϝ vocali vicina abiecta in υ abiit, digammate carent[9]). Linguae Slavicae et Germanicae literam spirantem labialem in omnibus iis vocibus omittunt (slav. sę, goth. seina, sui, seins = suus). Iam vero adverbia Gothica sva (sic), svê (ut, quomodo; contractum est ex svai, casu instrumentali), svasvê (sicut) radici sva

1) Cf. Curtius l. l. I, nr. 575. 2) Cf. Hoffmann. l. l. § 89.

3) Cf. Bopp. Gloss. sanscr. s. v. svṛ; ad rad. svar (sur splendere) pertinent σείρ (σειρός) σείριος, σέλας, σελήνη, Ἑλένη. Cf. Bopp. Vergl. Gramm. § 19. 4) Cf. Curtius l. l.

5) Ut pronomini possessivo sva in lingua sanscr. etiam vis pronominis poss. I et II pers. est, sic ὅς apud Homerum loco pronominis possess. primae et secundae pers. adhibetur. Cf. Od. I, 402, XIII, 320.

6) Simili modo ex sovos fit suus, ex tovos tuus, ut Corssen l. l. I, 175 exposuit. Radix sva integra est in voce prisca latina suad (sic). Cf. Corssen l. l. II, 64. 7) Cf. Ahrens de dial. Dor. p. 257.

8) Cf. Ahrens l, c. p. 261. ψιν Syracusanorum metathesi ortum est, ut ipse ex isve. Cf. Bopp. Vergl. Gramm. § 342.

9) Cf. Bopp. Vergl. Gramm. § 327, 341. Schleicher. Lautlehre p. 504.

tribuenda sunt. Cum *svê* (quomodo) optime comparari potest adverbium Homericum φῆ s. φὴ (ut), quod exortum est ex σφῆ (pro σϝῆ), ut φιν e σφιν; casum instrumentalem efficit. Temere Spitznerus (Excurs. XXV ad Il.) scripturam, quam Zenodotus tradidit[1]), impugnat. Quis enim credat grammaticos Alexandrinos voces carminibus Homericis inseruisse, quarum vim et notionem minime perspexissent?

Iam quod usum digammatis attinet, non immerito Hoffmannus aetate, qua carmina Homerica exorta sint, digamma in casibus singularis n. pronominis tertiae personae et in pronomine possessivo ὅς ubique valuisse statuit[2]). Loci enim, qui digammati repugnare videntur, facillime sanari possunt, nisi ab interpolatoribus carminibus Homericis inserti sunt. Quid, quod multi loci extant, qui ne literam σ quidem in iis vocibus Homeri aetate digamma praecedentem omnino evanuisse docent, cum vocales breves et in Iliade et in Odyssea producantur ante has voces: οὗ, ἕο, ἔθεν, ὅς? Ita Od. XXI, 136 legitur ἀπὸ ϝεο (cf. Il. V, 343, XIII, 163 al.); Il. V, 71, XII, 512, XXIV, 36 πόσεῖ ᾧ (l. σϝῷ); Il. VI, 62, X, 465 al. ἀπὸ ϝέθεν; Il. V, 371, VI, 192, XI, 226, XIII, 376 θυγατέρᾱ ἣν (l. σϝήν); Il. XXII, 307, τό οἱ (i. e. σϝοι); Il. XIV, 92 ἐπίσταιτō ἧσι (σϝῇσι); Il. XI, 330, II, 832 οὐδὲ οὕς (σϝούς); Il. XVII, 196 ἄρᾱ ᾧ (i. e. σϝῷ). Etiam Dorienses et Aeoles in iis vocibus digamma servaverunt; Alcman enim ϝ scripsisse traditur in fr. 96[3]) τὰ ϝὰ κάδεα; in fr. 63 metri causa restituendum est ὃς ϝέθεν; neque Pindarus digamma in vocibus οἷ, ὅς plane neglexit[4]). Ex poetis Aeolicis Alcaeus, Sappho, Corinna digamma in pronomine tertiae personae non respuisse perhibentur[5]). Dores Hesychio teste usi sunt ϝιν pro σοι (οἷ legendum est), ϝίο pro αὐτοῦ, ϝοι pro αὐτῷ, ϝῷ pro ᾧ[6]). Atque in inscriptionibus titulisque Boeoticis digamma saepe legi constat.

A radice sva (σϝε) etiam ἴδιος originem ducit; constat enim, ut Curtius recte iudicat, e stirpe σϝε et terminatione jος (ιος, sanscr. yas), qua ex radicibus nomina adiectiva efficiuntur; literae spiranti j saepe δ pleonasticum addi solet, tum vero ex δj aut ζ efficitur, aut j in vocalem ι solvitur, aut δ quasi parasiticum litera j abiecta solum servatur. Tali modo ex σϝε-jος σϝεδ-jος, e σϝεδ-jος σϝεδιος, e σϝέδιος ϝέδιος, denique ex ϝέδιος ἴδιος nascitur[7]). Quam vocem, quamquam in carminibus Homericis nullum vestigium digammatis praebet, eam literam per longum tempus servasse, tabulae Heracleenses docent[8]); accedit, quod etiam apud Pindarum Ol. XIII, 49 hiatus vitandi causa ϝίδιος legendum est.

Etiam vocem ἔτης, quae non modo in carminibus Homericis, sed etiam in foedere Eleorum et Evaeensium, quod dialecto Aeolica scriptum Boeckhius ad Ol. L refert, digamma servavit[9]), Benfeius radici sva tribuit[10]). Acuta quidem est illa coniectura, cum voces, quibus cognati significantur, haud raro radicem sva contineant; ita sanscr. svasâr (pro svastâr), lat. soror (i. e.

---

1) Cf. schol. ad Il. II, 244, XV, 499. 2) Cf. Hoffmann l. l. § 110, 142, 143, 161.

3) Cf. Bergk Poet. lyr. Graec. p. 96. Ahrens. de dial. Dor. p. 41. 4) Cf. Boeckh. de metr. Pind. c. XVII.

5) Cf. Sapph. fr. 89 (ϝε), fr. 111 (ϝοι) fr. 117 (ϝόν); Alc. fr. 11 (ϝέθεν) fr. 78 ϝαύτω (i. e. αὐτῷ), Corin. fr. 19 (ϝόν). 6) Cf. Ahrens. de dial Dor. p. 55.

7) Cf. Curtius l. l. II, p. 201. Boppius putat, in σϝιδ antiquum ablativum inesse et ἴδιος cum sanscr. svadîya, quod constat ex ablativo svat et terminatione îya, confert; sed ea ratio adiectiva possessiva parandi sola est linguae sanscritae. Cf. Bopp, Vergl. Gr. § 405. 8) Cf. Ahrens, l. l. 42.

9) Cf. Hoffmann l. l. § 138. C. Inscr. nr. 11. Savelsberg de digammo eiusque immutationibus (progr. gymn. Aquisgr. 1854) p. 6. 10) Cf. Benf. Wurzellex. II. 202.

sostôr), goth. svistar, slav. sestra a r. sva descendunt; significat svasâr *propriam feminam* (stâr enim cum *stri, femina* cohaeret)[1]). Cum vero nullum vestigium σ initialis reperiatur, maiore iure ἔτης cum sanscr. vatsas (significat prolem, cognatum) confertur, ut Ϝέτος (ἔτος) cum sanscr. vatsa, vatsara (annus) cognatum est et pro Ϝετσος dicitur[2]). Cum voce Ϝέτης cohaeret ἕταρος, (ἑταῖρος); spiritus asper me quidem movere non potest, ut illas voces aliis radicibus tribuam, quippe cum omnes voces, quae a digammate incipiunt, postquam ea litera evanuit, spiritu aspero, qui postea in spiritum lenem mutatus est, praeditae fuisse videantur. Itaque Christio assentior, qui ἕταρος cum sanscr. vatsalas (amans, amicus) comparat[3]). Miror, quod Hoffmannus negat[4]), vocem ἕταρος digamma requirere, quoniam et ex Odyss. XV, 529 Θεοκλύμενος ἑτάρων et ex Il. XXIII, 137: ἀχνύμενος ἕταρον luculentissime apparet, Ϝ literam antiquitus voci illi fuisse. Quamquam Ϝ in hac voce, ut in multis aliis, saepissime negligi negari non potest.

A radice σϜεθ descendunt ἔθω, ἐθίζω, ἦθος, e quibus ἦθος et ἔθω apud Homerum digammate utuntur (Ϝέθοντες legendum est Il. XVI, 260). Etiam augmentum εἰ pro ἠ, quo ἐθίζω et ἔθω utuntur (cf. εἴθιζον pro ἐϜέθιζον, εἴθισμαι pro ϜεϜέθισμαι, εἴωθα pro ϜειϜωθα), docet, in iis vocibus digamma fuisse. Adde, quod Aeoles εὐέθωκα (i. e. ἐϜέθωκα pro ϜεϜέθωκα) dixisse videntur, ut ex glossa Hesych. εὐέθωκεν, εἴωθεν apparet[5]). Boppius eas voces cum radice sanscr. sādh (perficere) comparat[6]). At aliud significat sādh, aliud radix σϜεθ. Equidem non dubito, quin σϜεθ cum sanscr. svadhā cohaereat, quod compositum est ex sva, stirpe pronominis tert. pers., et dhâ (gr. θη in τίθημι sanscr. dadhāmi); significat igitur ἔθω *se ponere*, vel *aliquid suum facere*[7]). Satis notum est radicem dhā (graec. θη) ad voces compositas efficiendas et ad verba declinanda saepissime adhiberi. Nam non modo aoristi et futura passivi in lingua Graeca radicem θη ostendunt (cf. e. g. ἐ-παιδεύ-θην, παιδευ-θήσομαι)[8]), ut in linguis Germanicis tempus praeteritum eorum verborum, quae a nominibus descendunt[9]), radicem dhā assumit (goth. da in sôkida, salbôda, habaida, germ. vet. suochta, salbôta, habêta), sed etiam verba, quae in syllabam θω exeunt, ut φλεγέθω (i. e. φλόγα τιθέναι), τελέθω, φθινύθω eam radicem praebere mihi quidem videntur. Simili modo ea radix in lingua latina adhibetur, ut verba *condo*, *abdo*, *credo* (sanscr. śraddadhāmi), *perdo*, *vendo*, *pessundo* docent, cum perspicuum sit, in illis verbis notionem ponendi inesse.

Tum voces ἑκυρὸς et ἑκυρὴ (ἑκυρά) apud Homerum digammate ornatae sunt. Illas voces a binis consonis incepisse cernitur ex Il. III, 172: φίλῃ ἑκυρέ; producitur enim brevis vocalis ε ante ἑκυρέ. Quam ob rem dubitari non potest, quin ἑκυρὸς e σϜεκυρὸς ortum sit; conferri potest ἑκυρὸς cum sanscr. śvaśuras, goth. svaihra, germ. vet. suehur, lat. *socer;* ἑκυρὰ est sanscr.

---

1) Cf. Bopp. Vergl. Gramm. § 812. 2) Cf. Bopp. Gloss. s. vatsa.

3) Cf. Christ. Gr. Lautlehre p. 251. Bernhardt. l. l. confert vocem ἕταρος cum sanscr. sahaćara, quod constat ex praepositione saha (sa, graec. ἁ, ἀ, ὁ in ἅπας, ἄλοχος, ὁϜέτης) et verbo ćar (ire), ita ut eum significet, qui cum aliquo it, qui aliquem comitatur, quam sententiam non probo. Ut ἕταρος, sic etiam Ϝιταλὸς cum vatsalas cohaeret.

4) Cf. Hoffm. l. l. § 139.

5) Lacones Ϝήθεα pro ἤθεα dixisse prodit Hesychius; cf. Ahrens. de dial. Dor. p. 340.

6) Cf. Bopp. Gloss. s. v. sādh.

7) Etiam in verbis *suesco, assuesco, assuefacio, consuescere, consuetudo* radix sva inesse videtur.

8) Cf. Bopp. Gloss. S. s. v. dhā, Vergl. Gr. § 631, 632.

9) Jac. Grimm. hanc declinationem infirmam vocat (schwache Conjugation).

śvaśrûs, germ. swigar, lat. socrus. Etiam hae voces pronomine sva componuntur, constat enim śvaśura ex sva et śura (vir)[1]).

Ex linguis cognatis iudicari potest, etiam Graecis radicem σϝαδ fuisse (sanscr. suăd, svād), cui originem debent hae voces: ἀνδάνω (r. ἀδ, ἔαδον pro ἔϝαδον (Aeol. εὔαδον[2]), ἐήνδανε pro ἐϝήνδανε, ἔαδα pro ϝέϝαδα), ἥδομαι, ἡδος, ἡδύς (sanscr. svādus, lat. sua(d)vis, anglosax. svet, germ. vet. suazi, suozi, goth. sutis, lith. saldus, slav. sladk), ἡδονὴ, ἄσμενος, ἑδανὸς, ἕεδνα i. e. ἔϝεδνα (ἕδνα), ἐεδνόω (ἑδνόω), ἐεδνωτὴς (ἑδνωτής), ex quibus ἀνδάνω[3]), ἄσμενος[4]), ἥδος[5]), ἡδὺς[6]) (ἡδύποτος, ἡδυεπὴς i. e. ϝήδυϝεπής), ἥδυμος (libri νήδυμος exhibent), ἥδομαι[7]), ἑδανὸς[8]), ἕδνα (ἔϝεδνα)[9]) in carminibus Homericis certissimo digammate utuntur, neque Dores et Aeoles eam literam in iis vocibus neglexerunt, id quod cum ex carminibus Pindari et Alcaei[10]), tum ex glossis Hesychii[11]) et inscriptionibus[12]) intellegitur.

Etiam numerale ἕξ antiquitus a ϝ incepit; digamma et in carminibus Homericis[13]) et in inscriptionibus[14]) invenitur, quamquam ne cognatae quidem linguae praeter sendicam, in qua numerale khsvas sanscr. shash, lat. sex, goth. saihs respondet, vestigium consonae v praebent. Quis enim neget in Iliade V, 270 legendum esse: τῶν ϝοι ϝὲξ ἐγένοντο ἐνὶ μεγάροισι γενέθλη? Atque in tabulis Heracleensibus extant voces ϝεξήκοντα, ϝεξακάτιαι, ϝείκατι ϝέξ, ϝέκτα.

A binis consonis voces ἰαχὴ, ἰάχω incepisse ex eo probari potest, quod breves vocales ante eas voces producuntur; Od. X. 322 legitur μέγᾱ ϝιάχουσα (cf. Il. IV, 506, V, 343, XII, 144, XVI, 785, XVII, 317); Il. IV, 456 γένετō ϝιαχή. Attamen, utrum in illis vocibus literam ϝ praecesserit σ, an l. gutturalis, diiudicari nequit. At apud Homerum non semper adhibetur digamma[15]). Nonne sequitur ex ea re, ut aetate illa, qua carmina Homerica in eam formam, qua hoc tempore gaudemus, redacta sunt, multae voces ϝ una cum σ vel litera gutturali modo servaverint, modo amiserint?[16]) Itaque non est mirum, quod neque apud Homerum, neque apud alios scriptores voces ἰδίω, ἶδος, ἰδρὸς, ἰδρὼς, quamquam a radice σϝιδ exeunt, ullum vestigium digammatis offerunt[17]). Hactenus de vocibus, quae a σϝ incepisse videntur. Iam de iis quaeramus vocemus, in quibus digamma initiale vocalem praecedit.

Voces ἄναξ, ἄνασσα, ἀνάσσω (ἤνασσε, ἐήνασσε, i. e. ἐϝήνασσε) ἀνάκτωρ, ἀνακτόριος apud Homerum certissima vestigia digammatis ostendunt. Etiam in Alcmanis carminibus ϝάνασσα (fr. 42) et ϝάναξ (fr. 82) leguntur; Εὐρυβάνασσα (n. pr.) est in recentiore titulo Laconico nr. 1323 et Βαναξίβουλος in titulis Creticis 2572, 2577. Et Hesychius testatur in magna Graecia pro ἄναξ βάννας pronuntiatum esse[18]). De origine illarum vocum, quas Hoffmannus audacius, quam

---

1) Cf. Bopp. Gloss. s. śvaśura et śvaġana
2) Cf. Ahrens de dial. Aeol. p. 36.
3) Cf. Hoffmann l. l. § 111, 162.
4) Cf. Od. IX, 63, 565, X, 134, Il. XIV, 108.
5) Cf. Od. XIV, 95, Il. I, 576, XI, 318.
6) Cf. Il. I, 248, Od. II, 340, XV, 507; Hoffm. l. l.
7) Cf. Od. IV, 793, XII, 311, 366, XIII, 79; Il. II, 2, IX 91, 187; XIV, 242, 253, 357, XVI. 454, XIII, 63 al.
8) Cf. Il. XIV, 172 al.
9) Cf. Hoffm. l. l. § 145, 163.
10) Cf. Boeckh l. l. Alc. fr. 39, v. 3.
11) Cf. Ahrens de Dial. Dor. p. 45, 53. Curtius l. l. I, nr. 252.
12) Corp. Inscr. nr. 1574 Boeckhius pro Γάδων (n. pr.) ϝάδων restituit..
13) Cf. Ebel in Jahni annal. nov. T. 83, 1, pr. 4. Leo Meyer (Zeitschr. für vergl. Spr. IX, 434.)
14) Cf. Ahrens d. Dor. p. 43, Savelsberg l. l. p. 7.
15) Cf. Hoffm. l. l. § 171.
16) Cum ἰάχω cognatum est βιύζω vel βιούζω Laconum (pro ϝιύζω). Cf. Ahr. de d. Dor. p. 47.
17) Cf. sanscr. svid, svidjâmi-sudo, svêdas (sudor), germ. vet. sueiz. Bopp. Gloss. s. svid, Curtius I, nr. 283.
18) Cf. Ahrens d. Dor. p. 45. Boeckhius etiam Pindaro ϝάναξ, ϝανάσσειν tribuit.

verius cum vocibus ἀνήρ, Ἄρης, ἄρσην, ἄρνες confert[1]), nihil pro certo affirmaverim; ἀνὴρ nullo tempore ϝ literam habuit, quum ad radicem sanscr. nṛ (i. e. nar, vir) recedat et α prosthetico utatur.

Non minus certum est, voces ἔρση, ἐέρση (l. ἐϝέρση), ἐρσήεις (ἐϝερσήεις) digammate non carere[2]). Trahendae enim sunt ad radicem ϝαρς s. ϝερς (sanscr. vṛsh, i. e. varsh, cui notio subiecta est pluendi, semine irrigandi; ἔρση est sanscr. varshas). Eidem radici Boppius suo iure vocem ἄρσην (ἄῤῥην pro ϝάρσην, cf. sanscr. vṛshas, taurus) dat, quamquam nulla vestigia digammatis in ea voce reperiuntur[3]). Neque erraveris, si voces ἄρνες, ἀρνειός, Ἄρνη (πολύῤῥην, πολύῤῥηνος pro πολυϝρην), quae non modo apud Homerum[4]), sed etiam apud Aeoles et Dores[5]) digamma ostendunt, illi radici adnumeres.

Tum certissimum digamma est in vocibus, quae a radice vas (ϝας, ϝες) descendunt. A radice vas (habitare, stabilire, sanscr. vas, goth. vas) repetendae sunt hae voces: ἄστυ (sanscr. vâstu, domus, germ. vet. wist, nostrum Veste, fest), ἀστεῖος (pro ϝαστεϝιος, sanscr. vâstavyas = οἰκεῖος), ἀστὸς, ἑστία (lat. Vesta), ἑστιάω (εἱστίων ex ἐϝεστίων). In carminibus Homericis voces ἄστυ, Ἀστύαλος, Ἀστύνοος, Ἀστύπυλος, Ἀστύαναξ (l. ϝαστυϝαναξ) digammate ornatae sunt[6]); etiam in inscriptionibus Aeolicis et Corcyraeis ϝάστυ (ϝάστιος est Aeolum pro ϝάστεος) legitur[7]).

Ab altera radice vas (ϝες), cui notio est vestiendi, originem ducunt hae voces: ἕννυμι pro ϝέσνυμι (goth. vasja respondet sanscr. formae causat. vāsyāmi), εἷμα, ἕσθος, ἐσθὴς (cf. vestis, vestio, goth. vasti, pallium, germ. vet. wāt), ἑανός pro ϝεσανός. Ex quibus vocibus quin in carminibus Homericis ἕννυμι (ϝέννυτο, ϝέσσε, ϝειμένου), ἐσθὴς, εἷμα, ἑανὸς a digammate incipiant, dubitari non potest[8]). Neque minus voces compositae καταϝείνυον (καταϝέννυμι), καταϝειμένος, ἐπιϝειμένος, ἐπιϝέσασθαι (ἐπιϝέννυμι) digamma ostendunt. Dores autem et Aeoles digamma minime ignorasse ex Hesychio cognoscimus, qui Dores pro εἷμα γῆμα, (l. ϝῆμα) βεστόν s. βεττὸν (= sanscr. vastram), Aeoles autem γέμματα (l. ϝέμματα i. e. ϝέσματα) pro εἵματα dixisse affirmat[9]).

A radice ϝαγ (sanscr. bhañǵ, pronunt. bhandsch) deducendum est ἄγνυμι, cuius tempora apud Homerum firmissimo digammate utuntur[10]) (leguntur ϝαγνυμενάων, ϝάγη i. e. ἐϝάγη, ἔϝαξα, ϝέϝαγα (ἔϝαγα, i. e. ἔαγα, sanscr. bhabhañǵa), ἀϝαγὴς (ἀαγής). — Etiam Aeoles et Dores in ea voce digamma servarunt; nam Sapph. fr. 2, v. 9 recte Bergkius scribendum esse putat γλῶσσ᾽ ἔϋαγε; Hesychii glossae βάγος (ἄγος), βάξον (ἄξον) ad dialectum Doricam pertinent[11]); Hesiodus Ἔργ. v. 666, 693 καυάξαις (i. e. κατϝάξαις) pro καταϝάξαις offert. De digammate vocum ἀγὴ, ἀκτὴ, ἰωγὴ (κυματωγὴ), quamquam ab eadem radice ϝαγ descendunt, neque ex Homero, neque ex dialectis Graecis licet iudicare[12]).

Iam omnes voces, quae ad radicem ϝεπ[13]) pro ϝεκ, (sanscr. vać, pronunt. vatsch, lat. *vŏc*

---

1) Cf. Hoffmann § 101. 2) Cf. Hoffmann l. l. § 149. 3) Cf. Bopp. Gloss. s. vṛsh.

4) Cf. Od. IV. 85, XVII, 242. Il. II, 507, VII, 9.

5) Ab Hesychio glossae βάρνες, βάρνιον, βάριχοι (ἄρνες), quae Laconum videntur fuisse, afferuntur. Ϝάρνων (n. pr.) in titulo Boeot. nr. 1569 legitur. Cf. Ahr. Dor. p. 45, dial. Aeol. p. 171, Curtius l. l. nr. 496.

6) Cf. Hoffmann l. l. 112.

7) Cf. Ahrens. d. Aeol. p. 169. Savelsberg, l. l. p. 7. Dores ϝιστία pro ἑστία, ϝιστιῶ pro ἑστιάω dixisse ex Hesychio conicere licet. Cf. Ahr. d. Dor. p. 55. 8) Cf. Hoffm. l. l. § 113.

9) Cf. Ahrens de Dor. p. 46, d. Aeol. p. 31. 10) Cf. Hoffm. l. l. § 140.

11) Cf. Ahrens. de dial. D. p. 45. Etiam ϝακτὸς pro κλάσμα (Hesych.) Laconum fuisse videtur.

12) Cf. Curtius II, § 118, 141. 13) Cf. Bopp. Gloss. s. vać. Curtius l. l. II, p. 47.

voco, *vox*, boruss. vet. wack, (enwackêmai = invocamus), germ. vet. wag, giwaht *mentio*) pertinent, digammatis tenacissimae sunt. In carminibus Homericis digammate ornatae sunt hae voces a radice ϝεπ petendae: εἶπον (l. ϝεῖπον, ἔϝειπον pro ἐϝεϝεπον, sanscr. avôćam ex avavaćam, ϝείπω, ϝειπεῖν, ϝειπὼν, ϝείπεσκε), ἔπος (l. ϝέπος, sanscr. vaćas[1]), ὄψ[2]) (l. ϝόψ=vox), ὄσσα[3]) (l. ϝόσσα ex ϝόκϳα). Ζεὺς ille εὐρύοπα (l. εὐρύϝοπα) est Iupiter, qui late sonat (tonat), ut Goebelius firmissimis argumentis nisus optime exposuit[4]). Dores et Aeoles digamma in iis vocibus servasse et ex Pindari carminibus et ex Hesychio, qui Aeoles γίπον (l. ϝῖπον pro ϝεῖπον) dixisse testatur, cognoscimus[5]). A radice ϝεπ alienae sunt voces, quae tempore praesenti ἐνέπω vel ἐννέπω (pro ἐνσέπω) utuntur, quae voces omnes (cf. ἔσπετε pro σέσπετε, ἔννεπε, ἔνισπες, ἔνισπε) radice σεπ nituntur, ut prisci Latini *insece* pro *dic*, *secuta est* pro *locuta est* dixerunt (cf. germ. vet segjan)[6]).

Neque vero vocibus εἴρω (dico), ἐρέω (εἴρηκα pro ϝεϝέρηκα (ϝέϝρηκα), εἴρημαι digamma defuisse, Hoffmannus probat[7]). Quod autem putat voces εἴρομαι, ἔρεσθαι, ἐρέομαι, ἐρεείνω, quibus interrogandi notio subiecta sit, ab iis, quas attulimus, seiungendas esse, cum nulla vestigia digammatis ostendant, in errore versatur. Quamquam enim, si exceperis duos locos Odysseae[8]), in quibus ϝέρεσθαι legendum sit, illae voces digammate carent, tamen hac re nihil probatur, nisi aetate illa, cui carmina Homerica debemus, eam literam iam paullatim evanescere coepisse. Dubium non est, quin omnes eae voces, in quibus notio dicendi vel interrogandi inest, a radice ϝρε s. ϝερ descendant (cf. sanscr. brû, bravîmi *dico*, lat. *verbum*, goth. vaúrd)[9]). Vides igitur, quae causa sit, quod legatur ἐῤῥήθην et vocales breves saepe ante literam ρ huius verbi producantur; ita legitur Il. IX, 526 παραῤῥητοὶ pro παραϝρητοί, Od. XVIII, 414 ἐπὶ ῥηθέντι pro ϝρηθέντι. Etiam in dialectis Graecis digamma harum vocum servatur. Grammatici quidem affirmant[10]) Aeoles βρήτωρ pro ῥήτωρ dixisse; in inscriptione Eliaca legitur ϝράτρη pro ῥῆτρα[11]). — Voces autem ἐέρμενος, ἔερτο (ὅρμος) radici σερ (lat. sero) tribuerim[12]).

Difficilius est dictu, quid de verbo ἔχω iudicandum sit. Quam vocem antiquitus a consona incepisse, ex Homeri paucis tantum locis fortasse probari potest; Il. XIX, 49 legitur γὰρ ἔχον, X, 264 θαμέες ἔχον, XXII, 412 μόγις ἔχον. Fortasse autem quispiam locis illis productiones brevium syllabarum arsi excusari existimaverit. Et permulti quidem loci obstant, quominus voci ἔχειν ubique consona litera initialis tribui possit. Iam vero antiquissimis temporibus eam vocem a consona incepisse, ex augmento εἰ apparet, quod ex ἐϝε aut ἐσε ortum est. Curtius ἔχω pro σέχω dictum esse putat[13]). Equidem Boppii sententiam amplexus[14]) puto voces ἔχω, εἶχον, ἕξω, ἑκτέος, ἑκτὸς radice ϝεχ uti, primum, quod litera σ spirans in initio vocum multo prius, quam digamma, evanuit parumque credibile est, etiam aetate Pindari, in cuius carminibus voci ἔχω hiatus illiciti vitandi causa consona initialis danda est[15]), σ spirans initiale in nonnullis vocibus pronuntiatum esse, tum quod cognatae linguae fere omnes illam radicem ostendunt (sanscr.

---

1) Cf. Hoffm. l. l. § 117. 2) Cf. Od. X, 121, XII, 52, 160. Il. II, 182.

3) Cf. Od. I, 282, II, 216; Il. II. 93.

4) Cf. Zeitschr. für oesterr. Gymn. IX, 783. Fortasse ad eandem radicem pertinet goth. hvopan (gloriari, hvaivop gloriatus sum) cf. E. Schulze, Goth. Gloss. s. hvopan. 5) Cf. Boeckh. l. l. Ahrens. de dial. Aeol. p. 32, 90, 171.

6) Cf. Curtius l. l. II, p. 55. 7) Cf. Hoffm. l. l. § 151. 8) Cf. Od. I, 405, III, 77.

9) Voces ῥῆμα et ῥῆσις ab illa stirpe descendere patet, eidem Curtius l. l. I, 309 voces εἰρήνη et ὀαρίζω pro ϝαϝαρίζω adnumerat. 10) Cf. Ahrens. d. Aeol. p. 34. 11) C. Inscr. I, p. 28; Savelsberg l. l.

12) Cf. Od. XV, 460, XVIII, 296, hymn. in Ap. v. 104. 13) Cf. Curtius l. l. I, p. 87, 161, 347.

14) Cf. Bopp. Gloss. s. vah. Vergl. Gr. § 442. 15) Cf. Boeckh. l. l.

vah — vahâmi (veho), send. vaśâmi, lat. veho (via), goth. vag — vagja moveo, vigs = via, lith. weżu, slav. vesun (veho), denique quod voces ὀχέομαι, ὀχεύω, ὄχος (sanscr. vahas) ὄχημα, ὄχλος, ὀχλέω, ὀχετός, quae a radice Fεχ descendunt, cum ἔχω cohaerent. Nam quod illis vocibus et cognatarum linguarum notio movendi, vehendi inest, ex ea re nihil probaveris nisi antiquitus voci ἔχειν vim movendi fuisse, quae notio etiam in verbis compositis ἐνέχω, ἀνέχω, διέχω inest. Vocibus autem ὀχέομαι, ὄχος et quae cum iis cohaerent, digamma fuisse ex Hesychii glossa Fόχανα (ut Ahrensius acutissime pro γόλανα scribit) ἀγκύλη, ἀντιλαβεὺς efficitur[1]). Aliae autem formae et tempora verbi ἔχειν (σχήσω, ἔσχηκα, ἔσχον, σχέσις, σχεδόν, σχῆμα, ἴσχω pro σισέχω (cf. ἵστημι pro σίστημι, ἵημι pro jίημι, in quibus vocibus ι syllabae reduplicatae q. d. vices suscepit) radice σεχ, quae metathesi in σχε mutatur (cf. sanscr. saḥ, saḥâmi *sustineo*), nituntur[2]).

A radice Fεργ (facere) descendunt voces ἔργω (ἔοργα pro FέFοργα, ἐώργειν pro FεFώργειν), ἔργον (FεκαFεργὸς, ἀFεργὸς), ἐργάζεσθαι (εἰργαζόμην pro ἐFεργαζόμην, εἴργασμαι pro FεFέργασμαι), ἔρδειν, ῥέζειν, quae omnes apud Homerum digammatis tenacissimae sunt (cf. sanscr. vragâmi, goth. vaúrkjan, nostrum wirken)[3]). Ante ῥέζειν saepissime breves vocales producuntur, ex qua re nobis concludere licet, ῥέζειν aetate Homeri a digammate incepisse[4]). Fέρδειν ex Fεργ sic exortum est, ut ex Fεργ addito j (sanscr. ya cf. naśyati *perit*, lat. i tertiae declinationis, cf. *capio*, goth. ja cf. hafja *tollo*)[5]) Fεργjω factum sit; ex γj efficitur ζ, quod, cum ζ literas δj contineat et Fέρζειν asperius sonet, δ solum reliquit. Cum vero ex Fεργ facillime metathesi adhibita Fρεγ prodeat, addito j ex Fρεγjω vel Fρεδjω factum est Fρέζω (ῥέζω)[6]). Etiam dialecti digamma servarunt; in inscriptione Eliaca (C. I. I, p. 28) legitur Fάργον pro ἔργον, Lacones βέργον, γαβεργὸς, i. e. γεωργὸς dixisse prodit Hesychius[7]), neque magis Aeoles digamma omittunt[8]).

Ad radicem Fεργ (includere, sanscr. vṛǵ, pronunt. vardsch, vṛnaǵmi arceo, goth. vrika διώκω) pertinent voces ἔργω (ἐFέργω, ἐFέρχατο, Fέρχατο pro FεFέρχατο cf. Od. IX, 221), εἴργω (εἴργνυμι pro ἐFέργνυμι, εἰργμὸς, εἰρκτὴ), ἐργάθω (ἐFεργάθω)[9]), quae apud Homerum digammate non carent[10]). Eidem radici Fεργ vocem ἕρκος (Fερκος), quae digammatis indicia multis locis Homeri offert[11]), dederim.

Etiam ἐρύω (Fέρυσσαν, Fερύσαντο, Fειρύσαντο, Fειρύαται, Fερυσάρματες Homer.) a digammate incepit[12]). Cum voce ἐρύω cohaerent ἐρύκω et ἐρητύω, quamquam ἐρητύω digamma non servavit. Hoffmannus recte iudicat, voces ῥυστάζω, ῥύομαι, ῥυτὴς ex ἐρύω per syncopen ortas esse, quippe ante quas vocales producantur. Omnes illae voces radice Fρε s. Fερ (sanscr. vṛ—var arcere, goth. var—varja, germ. vet. weriu (nostrum wehre) niti videntur.

Latissime patet radix Fελ s. Fαλ; a qua quin voces εἴλω, εἰλέω (torquere, volvere, se contrahere, urgere), εἶλαρ, εἰλιπόδες descendant, nemo dubitaverit. Quae voces excepta voce compo-

---

1) Cf. Ahr. d. Dor. p. 55. Il. XIV, 465. Apud Homerum legitur συνεοχμός i. e. συνεFοχμος; Hesychius glossam ἐεχμένη (ἐFεχμενη) συνεχομένη praebet.

2) Curtius suo iure voces σχολὴ, ἐχυρὸς, ὀχυρὸς radici σεχ tribuit.

3) Cf. Hoffmann l. l. § 118. Voces ὄργανον et ὄργιον (a rad. Fεργ) apud Homerum vestigia digammatis non praebent.

4) Cf. Od. IV, 690, V, 102, XVII, 211, XVIII, 15, Il. IV, 32, VIII, 250 al.

5) Cf. Bopp. Sanscr. Gramm. § 271. 6) Cf. Curtius l. l. II, p. 192 seq.

7) Pindarum digamma in his vocibus non neglexisse, affirmat Boeckhius. Laconum vel Aeolum fuit Fέργανα pro ὄργανα. 8) Cf. Ahrens d. Dor. p. 46, Aeol. p. 32. 9) Cf. Curtius l l. I, nr. 141.

10) Cf. Hoffm. l. l. § 48. 11) Cf. Il. I, 284 al. 12) Cf. Hoffm. l. l. § 152.

sita εἰλιπόδες apud Homerum multis locis digamma servarunt; verbi εἴλω hae formae reperiuntur: Ϝέλσαν, Ϝέλσαι, ἐϜέλσαι, Ϝέλσας, ἔϜελμαι pro ϜεϜελμαι, ἐϜελμένος, ἐϜάλην, Ϝάλεν (pro Ϝάλησαν), Ϝαλῆναι, Ϝαλήμεναι, Ϝαλείς[1]). Ab εἴλω (rad. Ϝελ) etiam voces οὐλαμός[2]) et οὖλος[3]) (l. Ϝούλαμος, Ϝοῦλος=densus) deducendae sunt; vox οὖλος, quae pro ὅλος legitur, ex σολϜος (cf. salvus) orta est. — In tabulis Heracleensibus legitur ἐγϜηληθίωντι pro ἐκϜηληθιωντι i. e. ἐξειληθῶσι (a Ϝηλίω pro εἰλέω)[4]). Et Lacones pro εἴλημα βήλημα, pro ἴλη βείλα (i. e. Ϝείλη) dixisse ex Hesychii glossis βήλημα, βειλαρμόστας, βειλάρχας apparet; severioris Doridis fuit Ϝηλιώμενοι pro εἰλούμενοι; Lacones pro εἴλεσθαι Ϝήλεσθαι dixerunt. Adde, quod in titulo Boeotico Ϝιλαρχίοντος legitur[5]). Atque cum Hesychii glossa sit ἀβέλλει στρέφει, fortasse a vero non aberraveris, si voces ἀέλλω, ἄελλα (aeol. αὔελλα), ἀολλὴς a radice Ϝελ, quae α prosthetico addito fit ἀϜελ, deducas[6]). Vocem ἅλις (Ϝάλις), quae apud Homerum firmissimo digammate utitur[7]), ad radicem Ϝελ pertinere patet.

Cum radice Ϝελ etiam stirps ἐλυ (Ϝελυ s. ϜελϜ), quae est in ἑλύω, εἰλύω (pro Ϝελύω, lat. *volvo*, goth. valvja, germ. vet wellu) cohaeret[8]). Homerus quidem digamma harum vocum servavit[9]), neque vox composita εἰλυφάζω digammate caret[10]).

Ex radice Ϝελ aucta stirps Ϝελικ exorta est, ad quam pertinent ἕλιξ, Ἑλίκη, Ἑλίκων, (Ἑλικώνιος), ἑλίκωψ (ἑλικῶπις), ἑλίσσω (pro Ϝελίκjω, cf. goth. valugjan[11]) *volvere*, usvalugjan), germ. vet. walzjan, walzan). Quae voces omnes apud Homerum digammate instructae sunt[12]), et Hesychii glossa γελλίξαι (i. e. Ϝελλίξαι) συνειλῆσαι ad dialectum Aeolicam pertinet[13]).

A radice Ϝαλ (Ϝαλο) deducendum est ἁλίσκομαι, quod fortasse cum vocibus ante allatis cohaeret. Homerum digamma in eo verbo non ignorasse constat[14]). Atque ἑάλων oritur ex ἐϜάλων, ἑάλωκα ex ϜεϜάλωκα; Aeoles digamma servasse Hesychii glossa εὐάλωκε prodit[15]).

Voces ἕλκω, ἑλκέω, ἑλκυστάζω, ἑλκηθμός, ὁλκή, ὁλκός (a rad. Ϝελκ) antiquissimis temporibus digamma habuisse, et ex augmento ει in voce εἷλκον pro ἔϜελκον, et ex voce ὧλξ, cui apud Homerum litera spirans labialis concedenda est[16]), cognoscimus, quamquam ἕλκω, ἑλκέω, ἑλκυστάζω in carminibus Homericis nulla fere indicia digammatis prae se ferunt; vox αὖλαξ α prosthetico addito ex ἀϜλακ-ς, ut ἄλοξ ex ἀϜλοκ-ς, exorta est.

Iam venimus ad radicem Ϝιδ (sansc. vid, lat. vid, goth. vit, slav. vjed), cui notio sciendi, videndi, apparendi subiecta est. Certum est omnes voces, in quibus notio sciendi inest, et apud

---

1) Cf. Od. V, 132, VII, 250, XI, 573, XII, 210 et quos locos Hoffmannus l. l. § 138 ex Iliade affert.
2) Cf. Il. X, 251, XX, 113. 3) Cf. Od. IV, 51, 299; VI, 231, X, 451 al.
4) Cf. Ahrens de dial. Dor. p. 42, 46. 5) Cf. Leake: Travels in Northern Greece vol. II. nr. 31.
6) Cf. Savelsberg. l. l. p. 11. 7) Cf. Hoffm. l. l. § 141.
8) A stirpe ἐλυ praeter εἴλυμα, ἔλυτρον (Laconum erat Ϝέλουτρον) etiam ἴλιγξ, ὅλμος, οὐλαί, ἀλωή descendunt; neque dubium est, quin ἐλυ prior pars vocis compositae ὀλοοίτροχος sit. cf. Curtius l. l. I. nr. 527.
9) Cf. Od. XII, 136, 479, V, 403, XX, 352 al. 10) Cf. Il. XX, 492.
11) Cf. E. Schulze Goth. Gloss. s. valugjan. Observavi, legem illam memorabilem consonarum mutarum mutationis (Lautverschiebungsgesetz), cuius auctor est Iac. Grimmius, secundum quam ex literis tenuibus linguae Graecae (idem valet de lingua latina et sanscrita) in lingua gothica prodeunt aspiratae, in lingua vet. germanica mediae, ex mediis Graecis in lingua gothica tenues (in l. vet. germ. aspiratae), denique ex aspiratis Graecis in lingua gothica mediae (in ling. vet. germ. tenues) cum saepe aliis locis, tum maxime, quum mutas semivocales v et j sequantur vel liquidae mutas praecedant, negligi.
12) Cf. Il. I, 98, 317, III, 190, XX, 404. Od. I, 92; IX, 46, XI, 289, XII, 74, 136 al.
13) Cf. Ahrens de dial. Aeol. p. 36. 14) Cf. Hoffm. l. l. § 138. 15) Cf. Ahrens de dial. Aeol. p. 36.
16) Cf. Od. XVIII, 375. Il. XIII, 707 al.

Homerum et in dialectis digammatis tenacissimas esse[1]). Huc pertinent οἶδα (sanscr. vêda, goth. vait, germ. vet. weiz, slav. vjemj pro vjedmi) et quae inde deducuntur formae (ἴδμεν, εἰδῶ, εἰδὼς, ἰδυῖα, ἥδεα, εἴσομαι, εἰδήσω), sicut ἵστωρ, ἴδρις, ἰδρείη, quae exceptis paucis tantum locis ubique apud Homerum digamma requirunt[2]). Dores digamma in iis vocibus servasse et ex Pindaro, apud quem οἶδα, ἴσημι (= οἶδα), ἴδρις ab ea litera incipiunt, et ex Hesychio, qui Dores γισάμεναι (l. Ϝισάμεν) pro εἰδέναι dixisse refert, apparet[3]). Ex dialecto Aeolica glossa Hesychii γοίδημι (l. Ϝοίδημι) ἐπίσταμαι petita est; eodem modo εἰδῶ, εἰδείην, ἥδεα, εἰδήσω a praesenti Ϝείδημι (rad. Ϝειδε) descendere videntur. Neque minus tenaces digammatis sunt voces, in quibus vis videndi inest[4]) (sunt εἶδον l. Ϝεῖδον pro ἐϜέϜιδον, ἴδον pro ἔϜιδον, εἰδόμην (l. Ϝειδόμην), ἰδέσθαι[5]). Dores digamma non abiecisse vox βίδεοι vel βίδυοι docet, qua significatur magistratus Spartanorum, quocum Boeckhius comparat ἰδύους s. εἰδύους Atheniensium; constat enim ἰδύους μάρτυρας, συνίστορας vel iudices litium capitalium esse[6]). Tertium denique locum obtinent eae voces apud Homerum digammate ornatae, in quibus est notio apparendi; sunt εἴδομαι (Ϝεισάμην, ἐϜεισάμην), quocum compares medium sanscr. vêdayê, εἶδος (Εἰδοθέη l. Ϝειδοθέη, θεοϜειδὴς), εἴδωλον[7]). Neque voci ὁράω antiquissimis temporibus digamma defuit, ut ex augmento syllabico ε apparet (ἑώρων pro ἐϜώρων, ἑώρακα pro ἑϜεϜώρακα). Nititur enim radice Ϝορ, a qua Curtius praeter ὄρομαι deducit voces οὖρος, ἐπίουρος, φρουρὸς, φρουρὰ, τιμάορος, πυλαωρὸς, θυρωρὸς, ὥρα (lat. *vereor*, goth. vars visan = *cautum esse*[8]). Quamquam ab Homero digamma omissum videtur, tamen in dialectis non plane evanuit, ut ex Hesychii glossa βῶροι ὀφθαλμοί cognoscitur. Cave autem vocibus ὄψομαι et ὄπωπα digamma tribuas; descendunt enim cum vocibus ὄσσομαι, ὄμμα, ὤψ, ὄψις, ὀφθαλμὸς a radice ὀπ (sanscr. ak, aksham *oculus*, îksh *videre*, lat. *oculus*, goth. augo, slav. oko), ut Curtius optime exposuit[9]).

A radice Ϝικ (sanscr. vić, vinaćmi *separo*, lat. *vito* pro *vicito*, germ. vet. wîchu) descendit εἴκω, quod verbum apud Homerum ubique digamma servavit[10]); leguntur saepe voces Ϝεῖξεν, Ϝείξειε, Ϝείξασκε, ὑποϜείκω. Aeoles pro εἶξαι pronuntiasse Ϝῖξαι, ex Hesychii glossa γίξαι[11]) (l. Ϝῖξαι) χωρῆσαι apparet; etiam apud Alcmanem Laconem fr. 48 legendum est ἔϜειξε.

Ad radicem Ϝελ pertinent hae voces: εἶλον pro ἔϜελον (Ϝελεῖν), ἕλωρ, ἑλώρια. Homerus digamma in iis vocibus non omnino neglexisse[12]) videtur. Cum Dores, qui digamma abiecerunt, futuro διελῶ[13]) utantur, priscis temporibus praesens Ϝέλλω pro Ϝελjω fuisse existimandum est, quocum sanscr. vṛ (var, vṛnômi eligo, varas electus s. eximius), goth. viljan = *velle* (vilja voluntas, germ. vet. wellan) et valjan (germ. vet. weljan *eligere*, welî optio) slav. voliti (velle) conferre non dubito; cognata sunt cum iis vocibus verba βούλομαι et *volo*. Quod Curtius negat[14]) ἑλεῖν cum v. βούλομαι cognatum esse, quippe cum in voce ἑλεῖν et in derivatis notio eripiendi insit, constat in formis mediis vim sibi sumendi, eligendi esse. Attamen αἱρέω ad radicem sanscr. hṛ (har)

---

1) Cf. Hoffm. l. l. § 121—124. 2) Cf. Hoffm. l. l. § 165. 3) Cf. Ahr. de dial. Dor. p. 345, d. Aeol. p. 136.
4) Cf. Hoffm. l. l. 5) Cf. lat. *video* = sanscr. vêdmi, vêdayâmi *facio, ut quis videat.*
6) Cf. Boeckh. ad C. Inscr. I, 1, p. 609.
7) Ϝείδομαι etiam Pindarus servavit; fortasse Ϝινδάλλεται ν inserto ab eadem radice petendum est.
8) Cf. Curtius I, nr. 312. Οὖρον pro ὅρος (Grenze), quod digammatis vestigia Od. VIII, 124, Il. X, 350 servavit, sicut οὖρος, ὅρος, οὐρὰ (cauda pro ὀϜρα) cum sanscr. avaras (inferus, posticus) cohaerere videntur. Cf. Pott. Etym. F. I, 123; Bopp. Gloss. s. avara. 9) Cf. Curt. l. l. II, p. 51. 10) Cf. Hoffm. l. l. § 116.
11) Cf. Ahrens de dial. Aeol. p. 171. 12) Cf. Od. XIV, 292, Il. I, 4 al.
13) Cf. Ahrens de dial. Dor. p. 237. 14) Cf. Curtius l. l. II, p. 126, 135, 249.

rapere traherem, nisi Homericum ἀποαιρεῖσθαι Il. I, 230 obstaret, quo fit, ut αἱρέω pro ϝαρjω dictum esse videatur[1]). Ex ϝελ δ addito stirps ϝελδ oritur, quae digamma apud Homerum in v. ἔλδομαι, ἐέλδωρ pro ἐϝέλδωρ servavit[2]). Etiam ϝελπ, cui stirpi tribuendae sunt voces ἔλπω, ἐλπὶς, ἐλπίζω, ἐλπωρὴ a radice ϝελ, cui litera π addita sit (cf. *volup* in v. *volupe* et *voluptas*), deduxerim. Est enim necessitas quaedam inter notiones *optandi* et *sperandi*, quae stirpibus ϝελδ et ϝελπ insunt. Voces ἔλπω, (ἔολπα i. e. ϝέϝολπα) ἐλπωρὴ, ἐλπὶς, Ἐλπήνωρ certissimum digamma apud Homerum praebent[3]).

Tum ὠθέω, cuius stirps est ϝωθ (sanscr. vādh s. bādh *vexare*, causat. vâdhayâmi ὠθέω), apud Homerum vestigia digammatis ostendit[4]); ἔωσα ex ἔϝωσα ortum est.

Voci ἐῤῥω digamma non defuisse et ex Homero[5]) et ex glossis Hesychii βέῤῥης δραπέτης et βερῥεύει δραπετεύει[6]) (sunt Laconum) colligas. Fortasse cohaeret ϝέῤῥω cum radice sanscr. vṛt (vart, lat. *verto*), ita ut ex ϝέρτω ϝέρσω, ex ϝέρσω autem ϝέῤῥω prodierit.

A radice ϝεκ (sanscr. vaś ex vak, vaśmi = desidero s. volo) originem ducunt voces ἑκών, (ἀέκων ex ἀϝέκων), ἕκητι (ἀϝέκητι), ἕκηλος; quae apud Homerum digammatis tenaces sunt[7]). Lacones βέκηλος pro ἕκηλος pronuntiasse Hesychius refert; idem glossas γέγκαλον (l. ϝέκαλον) ἥσυχον, γέκαθα (l. ϝέκαθα) ἑκοῦσα exhibet, quae Aeolum fuisse videntur[8]). Atque εὔκηλος ex ἐϝέκηλος ortum esse recte iudicat Buttmannus[9]).

Neque digammate apud Homerum carent voces ἕκας (ἑκάεργος l. ϝεκάϝεργος, Ἑκάβη, Ἑκαμήδη, ἑκηβόλος, ἑκηβολίαι), ἑκάτερθεν, ἕκατος (ἑκατηβόλος). Temere Hoffmannus, qui multis locis Homericis collatis omnes eas voces a consona litera incepisse ostendit, eas, voce *secus* Latinorum accita, σ initiale habuisse opinatus est[10]). Digamma enim iis fuisse ex glossa Hesychii βέκας (Lacones pro ϝεκας) apparet[11]). Fortasse illae voces cum radice ϝικ (sanscr. vić, germ. vet. wîchu) cohaerent[12]).

Etiam ἔθνος in carminibus Homericis certissima vestigia digammatis praebet[13]); quam vocem Benfeius optime ad radicem ϝεθ, sanscr. vṛdh (vardh) reducit; vṛdh significat *crescere*[14]). Etenim quum ṛ in lingua sanscrita vocalis sit et ex ar oriatur[15]), ex vṛdh facile vadh (gr. ϝεθ) prodire potuit. Quid, quod iam in lingua sanscrita radix vah (crescere) ex vardh orta est? Ad radicem ϝεθ (crescere) etiam vox ἔθειραι (crines) pertinere videtur, cui tribus locis Iliadis ϝ initiale concedendum est[16]). Eodem modo θρίξ a radice ṭrh (*crescere*) descendit et vox sanscr. rôman = *crinis*, a radice ruh[17]) (*crescere*).

Tum voces οἶκος (οἴκοι, οἴκαδε), οἰκίον, οἰκέω digammate et in Iliade et in Odyssea utuntur firmissimo[18]). Neque vero Dorienses eam literam in illis vocibus neglexerunt, ex quorum dialecto Pindarus ϝοῖκος *petivit;* in inscriptionibus Boeoticis legitur ϝυκίας pro οἰκίας; ἄοικος ex ἀϝοικος oritur. Quae voces omnes radice ϝικ nituntur, sanscr. viś pro vik *ingredi*, unde vêśas

---

1) In inscriptione quadam Cretensi legitur ἀφαιλήσεσθαι ρ in λ mutato. 2) Cf. Hoffmann l. l. § 47.
3) Cf. Hoffmann § 148. 4) Cf. Il. XVI, 592. 5) Cf. Hoffm. l. l. § 139.
6) Ahrens d. Dor. p. 46. 7) Hoffm. l. l. § 134. 8) Ahr. de dial. Dor. p. 46, 53.
9) Buttm. Lexil. I, 146. 10) Cf. Hoffm. l. l. § 114. 11) Cf. Ahr. d. Dor. p. 46.
12) Cf. Bopp. Gloss. s. vić. 13) Cf. Hoffm. l. l. § 139.
14) Cf. Benfey. Wurzell. I, 49, II, 88, Bopp. Gloss. s. vah, Bernhardt, l. l. p. 15.
15) Cf. Bopp. Krit. Gramm. d. Sanscr. p. 10. 16) Cf. Il. VIII, 42, XVI, 795, XXII, 315.
17) Cf. Benfey. Wl. I, 95, Bernhardt l. l. 18) Cf. Hoffm. § 128, 166.

Ϝοῖκος, lat. vicus, goth. veihs, germ. vet. wîch cf. Weichbild, boruss. vet. wais, polon. wies exeunt. Boppius nimis audaćter ἴκω ex *Ϝίκω* explicat[1]).

Vox ἕλος digamma servavit Il. IV, 483. Elei in tabula illa, in qua foedus Eleorum et Evaeensium inscriptum est, et in nummis constanter Ϝαλεῖοι s. Ϝαλήιοι dicuntur[2]). Ἤλιδις genuinum nomen est Ϝᾶλις. Vides igitur, Boppium minus recte ἕλος cum sanscr. saras (aqua fluens) comparare; iure autem cum v. ἕλος *Veliae* et *vallis* comparantur[3]).

Certissimo digammate utuntur voces ἔαρ pro Ϝεσαρ (sanscr. vatsara, vasantas, lat. ver, lith. vasara *aestas*, slav. vesna), ἦρ, ἐαρινὸς s. εἰαρινός[4]). Praeter Homerum[5]) etiam Dores et Aeoles digamma servaverunt; Hesychius enim Laconibus βηράνθεμον (νάρκισσον) pro ἠράνθεμον, Boeotis γίαρος (l. Ϝίαρος) pro ἔαρος tribuere videtur[6]). Non minus v. ἔτος pro Ϝετσος (sanscr. vatsas, vatsara, lat. vetus, slav. vĕtuchu *alt*) apud Homerum et in dialectis Doriensium et Aeolum digamma servavit; neque dubito, quin ἐτώσιος (vanus, irritus), quae vox digammate ornata erat[7]), ad eandem radicem pertineat. In tabulis Heracleensibus leguntur hae formae vocis ἔτος: Ϝέτος, Ϝέτεος, Ϝέτει, Ϝέτη, Ϝετέων, in inscriptionibus Boeoticis Ϝέτια[8]), ΡικατιϜέτιες; Laconicum erat βέτος pro ἔτος, unde διαβέτης, magistratus cuiusdam nomen, derivatur. In πέρυσι Ϝ in υ mutatum est; respondet enim sanscr. parut *anno praeterito*, quod constat ex *para* (alius) et *ut*, quod contractum est ex *vat*[9]).

Miror, quod Hoffmannus de vocibus ἕσπερος, ἑσπέριος, ἑσπέρα (cf. vesper) nullam mentionem facit, quamquam certissimo digammate utuntur[10]); etiam Sappho in fr. 95. Ϝέσπερος offert.

Tum Ϝ initiale fuit voci ἶσος (ἔισος i. e. ἔϜισος) eiusque derivatis ἰσόθεος, ἰσόμορος, Ἴσανδρος, ἰσάζω, ἰσόω, ἰσοφαρίζω, ἴσκω (ἐίσκω l, ϜεϜίσκω s. ἐϜίσκω, ϜήϜισκον)[11]). Dorienses pro ἴσως βίωρ pronuntiasse affirmat Hesychius; ne Pindarus quidem digamma in voce ἶσος neglexit; Ϝισοτελίαν in titulis Boeoticis (C. I. nr. 1562, 1563) legimus. Lesbiacum Ϝίσσον ex ϜίσϜον ortum esse Curtius iudicat[12]).

Ex numeralibus praeter ἕξ εἴκοσι (ἐϜείκοσι), εἰκοστὸς (ἐϜεικοστὸς, sanscr. viṅśati, lat. viginti) apud Homerum digamma ostendunt[13]); Ϝίκατι vel Ϝείκατι cum compositis Ϝικατίδειον, Ϝικατίπεδον tabulae Heracleenses tradunt; Lacones βείκατι pro εἴκοσι dixisse Hesychius testatur[14]); Boeotos Ϝίκατι pronuntiasse ex v. ΡικατιϜέτιες cognoscimus[15]).

Voces ἰτέη, ἰτὺς a digammate inchoare et ex Homero[16]) et ex grammaticis, qui Aeoles et Dorienses Ϝίτυς, Ϝιτία, βίτυς dixisse tradunt, apparet[17]). Conferri possunt cum iis vocibus sanscr. vêtasa (arundinis species) et vîtika (vinculum), lat. vitex-vitis, germ. vet. wîda *salix*. In vocibus οἶσος, οἰσύα Ϝ in ο mutatum est.

Etiam ἴον cum compositis ἰοδνεφὴς, ἰοειδὴς (l. ϜιοϜειδὴς), ἰόεις vestigia digammatis in carmi-

---

1) Cf. Gloss. Sanscr. s. viś.
2) Cf. Savelsberg l. l. p. 6, Ahrens de dial. Aeol. p. 170. Ϝελάτια et Ϝελατιᾶος leguntur in inscr. nr. 1569, a III.
3) Cf. Bopp. Vergl. Gramm. § 935. Curtius l. l. I, p. 355. 4) Cf. Hoffm l. l. § 143.
5) Cf. Od. I, 16, II, 89, 106, IV, 82, VII, 261. XI, 295, Il. II, 328 al.
6) Cf. Ahrens. de dial. Dor. p. 47, de Aeol. p. 171. 7) Cf. Od. XXII, 273.
8) Ahrens de dial. Aeol. p. 170, C. Inscr. nr. 1569, 1575. Ahr. Dial. Dor. p. 46, Boeckh. ad C. I. I, p. 611.
9) Pott. Etym. F. I, 124, II, 266. 10) Cf. Od. I, 422, II, 257, 385, VIII, 129, IX, 336, 452, XV, 505, XVI, 452 al.
11) Cf. Hoffm. l. l. § 150. 12) Curtius l. l. I, nr. 569, Savelsberg l. l. 13) Cf. Hoffm. l. l. § 146.
14) Cf. Ahr. d. Dor. p. 42, 279; Savelsberg. l. l. 15) Cf. C. I. nr. 1575.
16) Cf. Od. X, 510, Il. IV, 486, V, 784. 17) Cf. Ahrens de d. Dor. p. 55, d. Aeol. p. 32.

nibus Homericis[1]) reliquit, id quod fugisse videtur Hoffmannum; Aeoles Hesychio teste γιά (l. ϝιά) pro ἴον dixerunt.

Tum omnes voces, quae a radice ϝι s. ϝιν descendunt, apud Homerum digammate uti videntur[2]). Leguntur hae voces: ἶς, ἶνες, ἰνίον, ἴφι, ἴφιος, ἴφθιμος, Ἴφικλος (Ἰφικλήειος), Ἴφιτος, (Ἰφιτίδης), Ἰφίνοος, Ἰφίδαμας, Ἶφις, Ἰάνασσα (l. ϝιϝάνασσα), Ἴαιρα, Ἴκαρος (Ἰκάριος), Ἴτων. (cf. *vis-vires*). Neque dialecti digamma neglexerunt, cum Hesychius glossam γὶς (l. ϝις) ἰμὰς praebeat; βίσχυν (pro ϝίσχυν) Laconicum adverbium erat pro σφόδρα[3]).

Digammatis tenacissima est vox οἶνος (lat. vinum, germ. vet. wîn) cum compositis et derivatis[4]). Leguntur in carminibus Homericis οἶνος, οἰνοχοεύω, οἰνοχοέω, οἰνοποτάζω, οἰνόω, οἰνίζομαι, οἴνοψ, οἰνοχόος, οἰνοβαρείων, οἰνοβαρὴς, οἰνοποτὴρ, οἰνοπληθὴς, οἰνόπεδος, Οἴνοψ (n. pr.), Οἰνεὺς, Οἰνόμαος, Οἰνοπίδης. Etiam Aeoles digamma in iis vocibus servasse constat; et Βοινόβιος in titulo Cretico nr. 2576 legitur; praeter illam vocem Laconum fuisse videntur ϝοινάρυτις pro οἰνοχόη, ϝοινέες (κόρακες, cf. οἰνάς)[5]).

Voci ἀρήμενος Od. VI, 2, XI, 136 (legitur ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρήμενος) digamma dederim; pertinere mihi videtur ad radicem gvar, a qua sanscr. guru, lat. gravis, graec. βαρὺς deduxerim[6]).

Vocem ἕκαστος antiquitus a consona incepisse patet[7]). Curtius ἕκαστος pro σένκαστος, quod eius sententia ex numerali ἑν (i. e. σεν, cf. *singuli*, εἷς pro σενς) et καστος (pro ποστος) constat, dictum esse putat[8]); Boppius ἕκαστος et ἑκάτερος ad sanscr. numerale êka (unus) reducit[9]); Hoffmannus denique ἕκαστος cum ἕκας cohaerere putat, ita ut significet *vel eum, qui longissime abest*, deinde *quemque*[10]). Utrum Curtii an Boppii sententia magis probanda sit, in medio relinquam.

Parum recte I. Beckerus et Hoffmannus voci ἵεμαι (cupio) digamma tribuunt[11]), quamquam ἵεμαι consonam initialem habuisse certum est. Sed reducendum est ad radicem i (ire, cupere), quae in lingua sanscrita vocali addita yâ, in lingua graeca je vel jη fit; ex jίημι j omisso ἵημι, ex jίεμαι ἵεμαι efficitur. Quae cum ita sint, patet apud Homerum jιέμενος i. e. jίεμενος pro ἰέμενος legendum esse.

Tum Hoffmannus et I. Beckerus voces ἔοικα, ἐΐκειν, εἰκὼς, εἴκελος s. ἴκελος a radice ϝικ deducunt[12]). Beckerus scribit ϝέϝοικα, ϝεϝίκτην, ϝεικὸς, ϝείκελος, ϝίκελος, ἐπιϝείκελος. Aliam viam originis radicis ικ reperiendae ingressus est Curtius, qui glossa Hesychii δείκηλα εἰκόνες nitens Boppio ικ cum radice sanscr. diś i. e. dik (unde Boppio auctore δείκνυμι, δίκη, δοκέω descendunt) comparanti[13]) assentitur; putat enim ex δικ litera j quasi parasitica addita δjικ et ex δjικ δ abiecto jικ, deinde ικ factum esse. Quam sententiam ingeniosam sane et acutam si probaveris, sequitur, ut apud Homerum pro ἔοικε, jέjοικε, pro εἴκελος jείκελος, pro ἴκελος jίκελος legendum sit. Sed haud scio an tempore, quo κλέα ἀνδρῶν in Iliadem et Odysseam redacta sunt, litera j initialis rarissime adhibita sit. Accedit, quod ἶσος certissimo digammate utitur neque dubium sit, quin ἶσος cum ἐΐσκω, quod cum radice ικ cognatum est, cohaereat. Curtius

---

1) Cf. Od. V, 72, IV, 135, IX, 426. Il. XI, 298, XXIII, 850 al. 2) Cf. Hoffmann l. l. § 126, 127.
3) Cf. Ahrens. de dial. Dor. p. 47. 4) Cf. Hoffm. l. l. § 128. 5) Cf. Ahrens d. Aeol. p. 32.
6) Curtius ad radicem gar trahit ὄρος, Βόρρας pro Γϝόρρας cf. l. l. I, nr. 504.
7) Cf. Hoffm. l. l. § 114. 8) Cf. Curtius II, p. 54. 9) Cf. Bopp. Vergl. Gr. § 308.
10) Cf. Hoffm. § 120. 11) Cf. Hoffm. l. l. 120. 12) Cf. Hoffm. l. l. § 135.
13) Cf. Bopp. Gloss. s. v. diś, Curtius l. l. II, p. 227 seqq.

Lobeckium et Thierschium secutus etiam voces ἰωκὴ et ἰωχμὸς, quas a consona apud Homerum inchoare patet[1]), ex δjιωκὴ et δjιωχμὸς explicat easque cum διώκω j quasi parasitico addito cohaerere existimat. Mihi tamen nunquam persuaderi poterit, Graecos sonum jι adeo adamasse, ut consonis ante vocalem consonam j adiecerint, quum Romani quidem a sonis ji et vu quam maxime abhorreant. — Credibilius est, vocem εἰνατέρες, cui Beckerus Il. VI, 378, XXII 473 digamma concedit, j initiali instructam fuisse (jενατέρες s. jεινατέρες sunt lat. *janitrices*)[2]).

Difficilius est dictu, quid de voce ὡς (*ut*, *quomodo*) iudicandum sit, quam a consona incepisse ex eo apparet, quod saepissime breves syllabae ante ὡς producuntur[3]); omitto etiam ex hiatu illicito vim consonae initialis cognosci. — Curtius ὡς ex jως ortum esse[4]) et a voce ὃς, sanscr. yas, descendere putat; quod si ita se habet, ὡς sanscr. yât respondet. Non negaverim, ὃς idem esse atque sanscr. yas, quod nititur stirpe demonstrativa i. At ὃς (ex joς) non magis apud Homerum quam yas in lingua sendica[5]) vim demonstrativam abiecit et vim relativam particulis q. v. copulativis τέ, πέρ, ῥά, γέ additis exercet. Quamobrem audeo contendere, antiquissimis temporibus praeter ὃς ex joς alteram vocem ϝὸς, cui vim relativam tribuerim, fuisse, a qua adverbium ὡς pro ϝως deducendum sit. Adde quod in inscriptione Locrica a Rossio edita ϝότι legitur. Quid, quod ne Homerus quidem vocem ϝὸς ignorasse videtur, ut ex Od. IV, 126, XIII, 342, XI, 103 al. recte concludere mihi videor. Cum autem et j et v evanuerit, factum est, ut ex joς et ϝος una tantum vox ὃς oreretur. Iam in lingua sanscrita stirps interrogativa tres formas induit, quae sunt *ka* (nom. masc. kas, fem. kā, neutr. kat) *ku*, *ki*[6]). Quae formae ex una radice *kva* proficisci mihi quidem videntur; ex *kva* litera v neglecta factum est *ka*, *a* vocali omissa oritur *ku*, ut ex tva *tu*, *ki*, sic efficitur, ut a in leviorem vocalem i abeat. Movent me, ut ita iudicem, linguae cognatae. Nam voces latinae *quis*, *qui*, *quam*, *quando*, *ubi* (pro cubi, sanscr. kva, ved. kuha), *uter* (i. e. quoteros, cuter sanscr. kataras), *unde* (pro cunde, sanscr. kutas), *uti* s. *ut* (pro cuti, send. kutha), *quot*, *quantus*, *qualis* a radice *quo* i. e. *kva* exeunt[7]); eadem radice utuntur voces Gothicae *hvas* (quis, hva pro hvat *quid*, germ. vet. hver, hvaz), *hvar* (ubi, germ. vet. hvâr, wâ), *hvathar* (germ. vet. hvedar *uter*), *hvath* (quo), *hvathrô* (unde), *hvaiva* (ut), *hvêleiks* (germ. vet. welih *qualis*). Neque verisimile est linguas illas literis gutturalibus v parasiticum, quod Curtius in illis vocibus esse putat, addidisse, quippe cum omnes linguae cognatae v post consonas saepius abiciant. Puto igitur etiam Graecis priscis temporibus radicem κϝο fuisse; ex κϝο litera gutturali abiecta ϝο, digammate neglecto κο, qua radice Iones usi sunt, factum est; ex κϝ ortum est π in stirpe πο[8]), quae est in vocibus πόθι, ποῦ, πόθεν, πῶς, πότε, πότερος, πόστος, ποῖος, πόσος; voces ὅππως, ὁππότερος simil. ex ὅκϝως, ὁκϝότερος oriuntur, ut ἵππος ex ἵκϝος (sanscr. aśvas). Simili modo in dialectis Germaniae inferioris, quae legem gothicam mutationis consonarum observant, ex hv linguae gothicae litera b oritur (pro goth. hvar *ubi* pronuntiatur *bo*, pro hvas (quis) *bei*). — Quae cum reputaveris, opus non est ὡς (pro ϝως) a stirpe reflexiva sva deducere, id quod Lottnerus vult[9]).

---

1) Cf. Hoffm. l. l. § 137. Lobeck. Elem. p. 97, Curtius l. l. II, p. 226. 2) Curtius l. l. I, nr. 423.
3) Cf. Od. X, 322, XI, 413, XVIII, 296, Il. II, 190, III, 2, 230, IV, 470, V, 476, VI, 443, VIII, 286, XI, 57, XIII, 531, XVIII, 57, XXII, 481 et q. l. Hoffmannus affert l. l. § 76. 4) Cf. Curtius l. l. p. 177 seq.
5) Cf. Jahn. Neue Jahrb. 80, 1, p. 10. 6) Cf. Bopp. Vergl. Gr. III § 387 seq.
7) Cf. Corssen Vocalismus etc. II, p. 262. 8) Cf. Curtius l. l. II, p. 53.
9) Cf. Zeitschr. f. vergl. Spr. IX, 320.

Praeter eas voces, de quibus copiosius diximus, digammate initiali usae esse videntur hae: ἤνοψ[1]) (Ἥνοψ n. pr.), ἥρα (ἐπίηρα i. e. ἐπίϝηρα)[1]), αἰμύλιος[2]), ὄαρ s. ὤρ cum derivatis ὄαρος ὀαρίζω, ὀαριστής, ὀαριστὺς (Curtius ὄαρ a radice ϝερ *dicere* deducit)[3]), ἀραιός[1]), ἰωή[1]), ἠρίον[1]) (fortasse ad radicem sanscr. vṛ (var *tegere*), pertinet), ἦχι (ϝηχήεις)[4]), ἧκα (ἥκιστος)[5]), οἰήια[6]), Ἴλιος (Ἴλος, Ἰλιονεὺς)[1]), Ἶρις, Ἶρος, de quarum origine nihil pro certo contenderim.

Iam ad voces, in quibus digamma apud Homerum ante consonam legendum est, transeamus. Digamma enim antiquitus haud raro consonam liquidam r praecessisse ex eo apparet, quod multis locis breves syllabae ante ρ producuntur. Etiam duplicatio literae ρ plerumque ex amissa consona initiali (ϝ vel σ) petenda est.

Producuntur autem breves vocales in Iliade et Odyssea ante has voces digammate ornatas:

1) ῥυστάζω, ῥύομαι, ῥυτὴρ, ῥυσός, quae ad radicem ϝερυ pertinere videntur (Aeolicae sunt voces βρύτηρ, βρύτις)[7]).

2) ῥινὸς (cutis), ῥῖνες (nares); pertinent ad radicem sanscritam vṛ (var *tegere*), a qua εἶρος, εἴριον (pro ϝεῖρος), lat. *lana* ex *vlana*, goth. vulla descendunt[8]). Iam Hesychii glossa γρῖνος (l. ϝρῖνος), quae vox Aeolum fuit, digamma demonstratur; vox Homerica ταλαύρινος ex ταλαϝρινος (*qui clipeum sustinet*) orta est.

3) ῥήγνυμι (ῥηκτός), ῥήσσω, ῥηγμὶν, ῥῆγος, ῥώξ, ῥωγαλέος, quae nituntur radice ϝραγ, unde vocalium vi aucta ϝρηγ et ϝρωγ oriuntur (cf. lat. *frag* in v. *frango*, goth. brikan). In carminibus Alcaei ϝρῆξις legebatur, ut Trypho refert; nomen promontorii Lesbiaci erat Βρῆσσα[9]).

4) ῥῖγος, ῥιγέω (ἔῤῥιγα), lat. *frigus*, germ. vet. vriosan.

5) ῥάκος s. λάκος; in carminibus Sapphus legitur βράκος[9]) (sanscr. vraść *scindere*, vrak *sumere*).

6) ῥέπω, ῥόπαλον, ῥάβδος, ῥιπὴ, ῥωπήιον, quae descendunt a radice ϝρεπ, (goth. vaírpan). Vox καλαῦροψ ex καλαϝροψ orta est, significat fustem laqueo instructum (Strickstab).

7) ῥητὸς, ῥητήρ (cf. ϝερέω).

8) ῥίζα. Vox βρίζα s. βρίσδα Aeolum ex ϝριδϳα explicanda est. Pertinet ad radicem sanscr. vṛdh (vardh, anglosax. vridian *crescere*, goth. vaúrts, germ. vet. wurza), a qua etiam βλαστὸς, βλάστη, βλαστάνω (ex βλαδτὸς etc.) deducenda sunt[10]). Haud male Hoffmannus voces ῥόδον (Aeol. βρόδον), ῥόδος, Ῥόδιος, ῥοδανὸς ad eandem radicem refert[11]).

9) ῥέα (ῥεῖα facile), Ῥέα (Ῥείη), quas voces a digammate incepisse ex eo apparet, quod Aeoles βρᾶ, βραΐδιος, Βραδάμανθυς[12]) pronuntiarunt.

10) ῥέζω, de quo antea diximus.

11) ῥίον, quod Benfeius ad radicem sanscr. vṛh (e varh, cf. lat. *virga*) rettulit.

Hoffmannus putat, etiam ante λ digamma fuisse in vocibus λωτὸς, λωτόεις, λιγὺς, λιγυρὸς;

---

[1]) Cf. Hoffmann l. l. § 119, 130, 134, 136, 139, 125, 141. [2]) Cf. Od. I, 56.

[3]) Cf. Curtius l. l. I, p. 309. Hoffm. l. l. § 130. [4]) Cf. Od. IV, 71, VII, 150, XI, 632, Il. II, 209.

[5]) Cf. Od. XVII, 254, XVIII, 92, 94, XX, 301, Il. III, 155, XVIII, 596, XXIII, 531. [6]) Cf. Il. XIX, 43.

[7]) Ahrens de dial. Aeol. p. 34. [8]) Cf. Bopp. s. v. vṛ. [9]) Cf. Ahrens de dial. Aeol. p. 33 seq.

[10]) Cf. Bopp. Gloss. s. vṛdh, Benfey. Wl. I, 78, II, 338 (qui ῥαδινὸς (Aeol. βραδινὸς), ὀρόδαμνος pro ϝρόδαμνος ad eandem stirpem reducit).

[11]) Cf. Hoffmann l. l. I, p. 135—144. Quum Hoffmannus magna diligentia omnes locos, quibus ante ρ syllabae breves producuntur, congesserit, illos afferre mihi opus non est. [12]) Cf. Ahrens l. l.

stirpem ϝλωτ cum germ. vliozan cohaerere putat, λιγὺς, λιγυρὸς, λίγδην cum goth. thliuhan (fliegen) et cum germ. vet. flêhôn (flehen, goth. thlaihan) confert. Sed valde incerta sunt.

Ante alias consonas digamma non legitur neque nisi dentales sequitur. Voces enim δείδω, δέος (δεῖος), δειλός, δεινός, Δεῖμος, δεισήνωρ antiquitus a binis consonis incepisse iam ex eo cognoscimus, quod breves syllabae in vocalem exeuntes ante illas producuntur[1]). Postea in locum consonae obliteratae alterum δ successit, quod legitur in ἔδδεισεν[2]), ὑποδδείσας[3]), περιδδείσας[4]), ἀδδέες[5]). Puto igitur δείδω ex δϝείδω (pro δϝείδjω) ita ortum esse, ut ex radice δϝει (s. δϝι) antiquissimis temporibus δϝείδjω efficeretur, quod ex δϝει-jω δ parasitico inserto ortum est. Fortasse δϝει cum sanscr. bhî (timor, bhîma δειμός) cohaeret, cum *bhî* ex *bî* ortum esse videatur; simili modo ex *dvis* in lingua sendica et latina fit *bis* (gr. δίς abiecto digammate). Curtius, postquam sententiam eorum, qui illas voces cum sanscr. dvish (*odisse*, *irasci* cf. ὀδύσσομαι) cognatas esse ducunt, refutavit, δείδω pro δjείδω dici et stirpe δjι niti existimat[6]). Magis autem Grassmanni sententiam, qui δϝι per metathesin ex διϝ (sanscr. dju *aggredi*) ortum esse putat, probaverim[7]), quamquam ne tali quidem ratione originis vocis δείδω indagandae nobis opus est. Voces illas a digammate incepisse Hesychius testatur, qui Cretenses pro δεδοικὼς δεδροικὼς (ut pro σε τρε i. e. τϝε) dixisse affirmat. Schmidtius iusto audacius δεδροικὼς in δεδορκὼς mutavit. —

Denique certum est, voces δῆν, δηρὸν apud Homerum a δϝ incepisse, quum saepissime ante eas voces breves syllabae in vocalem exeuntes producantur (cf. ἔτι δῆν, μάλα δῆν, οὐδὲ δῆν, ἐπὶ δηρόν)[8]). Neque dubium est, quin δϝῆν s. δϝάν, (δοὰν apud Alcmanem) ad stirpem διϝα[9]) (sanscr. div *splendere*, unde divam, dju *dies*, Ζεὺς pro Δjεὺς derivantur) reducendum sit eiusque accusativum efficiat, quo fit, ut δῆν pro διϝαν s. διϝην dicatur. Ab eadem stirpe *div* voces latinae *diu*, *dum*, *do* in *quando* al. descendunt, ut Corssenius doctissime exposuit[10]).

In nonnullis vocibus digamma iam antiquissimis temporibus evanuit, sed certa indicia, ex quibus vis eius literae cognoscitur, reliquit. Sic ex augmento syllabico apparet, a digammate incepisse ὠνέομαι, ὦνος, ὠνὴ (sanscr. vasna, lat. *venum*, *veneo*, *vendo*)[11]); οἴγνυμι (sanscr. viś *intrare*), ἑορτάζω, ἑορτὴ (cf. ἑώρταζον, aeol. ἔροτις pro ἔϝροτις), οὐρέω (sanscr. vâri aqua, lat. *mare*). In aliis vocibus digamma adeo evanuit, ut ne minima quidem vestigia reliquerit; huc pertinent voces ἐμέω cum derivatis (rad. vam, sanscr. vamâmi = lat. *vomo*), ἀγκὴ (sanscr. vangk), ἀρείων (sanscr. varîyas, vara *eximius* uru, ex varu = εὐρὺς *magnus*), ἄριστος (sanscr. varishṭas), ἅτριον (sanscr. vê *texere*, *suere*), λύκος pro ϝλύκος s. ϝύλκος (sanscr. vṛkas, goth. vulfs, slav. vluku); ὄρτυξ apud Aeoles digamma servasse videtur, ut ex Hesychii glossa γόρτυξ concluserim (sanscr. vartika); pro ἥλιος, quod a radice sanscr. sur (ex svar *splendere*) descendit, Cretenses et Pamphylii ἀβέλιος pronuntiasse dicuntur[12]).

---

1) Cf. Il. V, 574, 817, X, 254, 376, XI, 10, 37, XIII, 224, XIV, 387, XVII, 217, XXI, 25.
2) Cf. Od. X, 219, 488, XIII, 184, Il. III, 418, X, 240, XX, 164 al.
3) Cf. Od. X, 296, Il. XII, 413, XVIII, 199, XXII, 282, XXIII, 417 al.
4) Cf. Il. XI, 508, XV, 122, XXI, 328, XXIII, 822. 5) Cf. Il. XXI, 481.
6) Cf. l. l. I, p. 201, II, p. 225, 193. 7) Cf. Zeitschr. f. vergl. Spr. XI, 11.
8) Cf. Od. VI, 62, XVII, 72, XXII, 473, Il. VI, 139, VIII, 126, IX, 415, XIII, 573, XIV, 737, XXIII, 690.
9) Cf. Curtius l. l. II, p. 145. 10) Cf. Corssen Vocalismus I, p. 343, II, p. 149, 284.
11) Cf. Curtius l. l. I, p. 285. 12) Cf. Ahrens de dial. Dor. p. 48.

II.

DE DIGAMMATE, QUOD SEQUITUR VOCALES ET IN MEDIIS VOCIBUS LEGITUR, EIUSQUE IMMUTATIONIBUS.

Qui contendunt Homerum digamma vocali praecedente et in mediis vocibus omnino neglexisse, sibi fingunt poetam, qui neque prosodiae q. v. iustam rationem habeat et sensus pulchri et venusti expers sit. Quod seriore aetate Iones literis spirantibus j, ϝ, ϛ abiectis et contractione vocalium neglecta hiatum valde adamasse videntur, ex ea re nihil probari potest, quum Homerus haud raro vel eas vocales in diphthongum coalescere sinat, quas ne elegantes quidem Attici diaeresi seiungere dubitaverunt; ita apud Homerum syllaba ειϛ adiectivorum in ειϛ exeuntium non raro cum vocali ο, quae ante ειϛ legitur, in unam syllabam coalescit (cf. λωτεῦντα pro λωτόεντα). Iure igitur ex diaeresi vocalium, quae in diphthongum coalescere solent, saepe concluditur vocales illas antiquitus litera spirante seiunctas fuisse. Jam quod ad digamma attinet, patet apud Homerum post α *privativum*, quod ante vocales legitur, literae spiranti labiali locum fuisse. Ante vocales enim pro α dicitur ἀν (cf. lat. *in — infans, infelix*, nostrum *un*), ut in ἄναυδος al. Digamma igitur post α privativum apud Homerum habuisse videntur hae voces: ἀέκων (l. ἀϝέκων), ἀέκητι (rad. ϝεκ), ἄιστος (l. ἀϝιστος), ἀιστόω, Ἀίδης (l. Ἀϝίδης), Ἀιδωνεύς, ἀίδηλος (l. ἀϝίδηλος), ἀίζηλος (l. ἀϝίζηλος pro ἀϝιδjηλος, quae vox ex ἀϝίδηλος j pleonastico addito exorta est, Hom. Il. II, 318 libri praebent ἀρίζηλον pro ἀϝίζηλον a rad. ϝιδ), ἀϝείμων, in qua voce radix ϝες inest (libri ἀνείμων offerunt, cf. Od. III, 348 al.), ἀελπὴς (l. ἀϝελπὴς a rad. ϝελπ), ἀελπτέω, ἀεργὸς (l. ἀϝεργὸς a rad. ϝεργ), ἀεργίη (ἀεργία), ἀεικὴς (l. ἀϝεικὴς a rad. ϝικ), ἀϝικῶς, ἀεικέλιος, ἀεκαζόμενος (l. ἀϝεκαζόμενος). Posteriore linguae aetate memoria digammatis obliterata Graeci ἀν et α adeo inter se mutaverunt, ut ἀνοχλησίαν pro ἀοχλησίαν i. e. ἀϝοχλησίαν, ἀνιδρωτὶ pro ἀιδρωτὶ dicerent, in ἄοσμος sine iusta causa α pro ἀν sibi permitterent.

Etiam post α *copulativum*, quod ex σα (cf. σαφής, sanscr. sam, sa) exortum est et in ἄλοχος, ἀκοίτης, ἅπας, ἅθροος al. legitur, digamma reperitur, si quidem Aristarchus recte iudicat, vocem ἀϝίαχοι (in libris est αὐίαχοι) Il. XIII, 41 significare *Trojanos conclamantes*; sed magis verisimile est, voce ἀϝίαχοι significari *mutos*, *tacentes*, quo fit, ut α *privativum*, non *copulativum* voci illi tribuendum sit[1]). Etiam ἀοσσητὴρ α *copulativo* utitur, sed nescio an I. Beckerus audacius ἀϝοσσητήρ scripserit, quum eam vocem ex ἀσοκjητήρ (a rad. σεκ i. e. σεπ cf. ἕπομαι, sanscr. sać, lat. *sec — sequor*[2]), non ex ἀϝοκjητηρ ortam esse verisimile sit. Sed α *copulativum* in ο[3]) abiit in voce ὁϝέτης (i. e. *aequalis*, eadem aetate cf. ϝέτος); Il. II, 765 legitur: ὄτριχας οἰέτεας (sc. ἵππους), quo loco Beckerus pro οἰέτεας ὁϝέτεας scribit; digamma in ea voce sonum vocalis υ habuisse credibile est; Aeoles quidem αὐετὴς dixisse vides ex glossis Hesychii ἀετέα, τὰ ἐν τῷ αὐτῷ ἔτει γεννώμενα, αὐετῆ τὸν αὐτοετῆ, ὑετὴς ὁ αὐτοετής. Etiam ἄεθλον, ἀεθλεύω α *copulativo* uti videntur (cf. lat. *vas* pro *vads*, goth. vadi, germ. vet. wetti).

1) Recte Beckerus pro αὐίαχοι scribit ἀϝίαχοι, quum ante ϝιάχω breves syllabae producantur.
2) Cf. Curtius l. l. II, p. 47.
3) α, ο, ε ex a profluere satis constat.

Denique α *prostheticum* ante digamma legitur in vocibus ἀϝέξω (αὔξω, αὐξάνω, sanscr. vaksh, send. ucs, goth. vahsjan *crescere*), ἀϝέλλω (ἀέλλω) cum derivatis ἄελλα et ἀολλὴς, ἀϝείρω (ἀείρω)[1]; α *prostheticum* etiam vocibus ἀϝὴρ (ἀὴρ, Lacones ἀβὴρ, Aeoles αὔηρ pronuntiarunt), ἄϝημι (ἄημι), ἀϝήτης (ἀήτης), αὔρα pro ἄϝρα (οὖρος *ventus* pro ὄϝρος), quae cum radice sanscrita vâ *flare* (goth. vô in vaia) cohaerere videntur[2]), dederim.

Idem α prostheticum ante digamma in voce Aeolica ἀϝυδὸς est, quae in compositis ῥαψαϝυδὸς, τραγαϝυδὸς, κωμαϝυδὸς, αὐλαϝυδὸς, κιθαραϝυδὸς occurrit; cf. C. I. I, nr. 1583, 1584; ἀϝυδὸς (ἀοιδὸς) enim ad radicem sanscritam vad (vadâmi *dico*), slav. vaditi *reprehendere* pertinet; ὕδω, ὑδέω, ὕδης correptam formam sanscr. ud sequuntur; ἀείδω igitur pro ἀϝείδω, ἀοιδὴ pro ἀϝοιδὴ, ἀηδὼν, pro qua voce Dorienses ἀβηδὼν servaverunt, pro ἀϝηδὼν legitur. Aliter iudicandum est de voce Homerica[3]) αὐερύω, cui Savelsbergius α *prostheticum* tribuit, Doederlinus, cuius sententiam Curtius probat, α pro ἀνα dici et ἀϝερύω ex ἀνϝερύω explicandum esse censet[4]). Sed αὖ cum voce sanscr. ava cohaeret, ut Benarius et Boppius recte iudicant, quae stirps antiquissimis temporibus pronominis demonstrativi erat, quam notionem ava in lingua sendica retinuit[5]) (cf. slav. *ovo* ille, polon. *ów* ille). Vis demonstrativa inest etiam in adverbio αὖ et in v. compositis αὐτὸς (pro qua voce in basi statuae in insula Delo repertae (C. I. nr. 10) legitur ἀϝυτό[6]), αὖθι, ἐνταῦθα pro ἐνθαῦθα, ἐντεῦθεν, αὖτις, αὖτε, αὐτάρ (cf. lat. *aut, autem*). Tum ava vim praepositionis in lingua sanscrita sibi vindicavit; significat *de, ab, re — retro*[7]). Vis igitur praepositionis inest etiam in αὖ vocis αὐερύω s. ἀϝερύω; vellem, Beckerum αὐ-ϝερύω scripsisse.

In vocibus Homericis ἔϝισος, ἐϝείκοσι (ἐϝεικοστὸς), ἔϝεδνα, ἐϝέλδωρ, ἐϝέλδομαι, ἐϝέργω, ἐϝέρση, ἐϝερσήεις (Cret. ἄϝερσα) ε prostheticum ante digamma esse statuimus.

Iam ex augmento syllabico, quod ante vocales legitur, concludi posse, antiquitus augmentum illud consonae initiali praefixum fuisse, non facile quispiam negaverit. Iure igitur Beckerus in carminibus Homericis scripsit ἔϝειπον, ἔϝεργε, ἔϝαζε, ἐϝεδνώσατο, ἐϝείλεον, ἔϝαδε (s. εὔαδε), ἐϝάλη simil. Literam autem spirantem labialem infirmissimam fuisse, voces ἐϝήνδανε, ϝήνασσε, ἐϝώρων (ἐώρων) al. docent, si ad antiquissima tempora pertinent neque ex ἐϝάνδανε, ἐϝάνασσε (quae vox apud Alcmanem legitur), ἐϝόρων digammate obliterato ortae sunt. Postquam igitur digamma evanuit, tamen plurimae voces augmentum illud syllabicum retinuerunt, eae autem, quae digammate abiecto a vocali ε incipiunt, ε illud cum augmento syllabico in ει contrahere solent. Vides igitur, quomodo εἰ ex ἐϝε exortum sit; in tribus tantum vocibus εἰ ex ἐσε explicandum est, quae sunt εἶρπον (descendit a radice σερπ, sanscr. sarp, sarpâmi *eo*, lat. *serpo*, germ. vet. slifu, swifu), εἱπόμην (deducendum est a radice σεπ, sanscr. sać, lat. *sec — sequor*), εἶσα, (nititur radice σεδ, sanscr. sad, goth. sat, cf. sita *sedeo*, lat. *sed*)[8]). — Sed εἰ perfecti eorum ver-

---

[1]) Non immerito Savelsberg. l. l. ab ἀείρω deducit vocem ὀρθός pro ϝορθός; C. Inscr. I, 2 legitur Βορθαγόρας et Hesychius glossam βωρθία ὀρθία tradit. Doederlinus (Gloss. Hom. I, p. 18) etiam ἀπαυράω (ἀπούρας) ex ἀπαϝείρω explicat; ἄρδην ex ἀϝέρδην oritur, ut ἀρτάω ex ἀϝερτάω, δείλη ex δειϝέλη. [2]) Cf. Bopp. Gloss. s. vâ.

[3]) Cf. Il. I, 459, VIII, 825, XII, 261. [4]) Curtius l. l. II, p. 141.

[5]) Cf. Bopp. Gloss. s. v. ava, Vergl. Gr. § 377—380.

[6]) Cf. Savelsberg. l. l.; haec una est inscriptio Ionica, in qua ϝ reperitur.

[7]) Gellius N. A. XV, 3 *au* vocis *aufero* cum αὖ comparat; patet autem, *auferre* et *aufugere* praepositione *ab* uti, cf. C. L. Schneider, Gramm. der lat. Spr. p. 363 seq.

[8]) Etiam εἴων fortasse ex ἐσεϝαον explicandum est, quum Lacones Hesychio teste ἐβάω i. e. ἐϝάω dixerint; radicem σεϝ ad sanscr. sêv (ex sav, *adire, committere, venerari*) reduxerim.

borum ex ϝεϝε (in iis, quae a litera σ inceperunt, ex σεσε) ortum est. Digamma quidem syllabae reduplicatae q. v. infirmissimum sonum habuisse, ex eo cernitur, quod apud Homerum voces ἔϝοικε, ἔϝοργα, ἐϝεργμέναι pro ϝέϝοικα, ϝέϝοργα, ϝεϝεργμέναι leguntur. Noli autem putare, voces εἰϝώργειν (ita Beckerus Od. XIV, 289 scripsit), εἴϝωθα (Od. XVII, 394) ex ϝεϝώργειν, ϝέϝωθα explicandas esse et digamma in ε abiisse. Leguntur enim pro ϝειϝώργειν, ϝείϝωθα. Mihi quidem antiquissima forma reduplicationis ea videtur fuisse, ut consonae initiali radicis diphthongus ει adiceretur, quo fit, ut posteriore linguae aetate voces εἴληφα pro λείληφα, εἴληχα pro λείληχα, εἴωθα pro ϝείϝωθα, εἴμαρται pro σείσμαρται (a rad. σμαρ) reperiantur; δείδια, quam formam Homerus servat, postea in δέδια mutatum est. Movent me, ut ita statuam, praeter illas voces linguae cognatae; in lingua sanscrita reduplicatio constat ex consona initiali et vocali radicis (cf. tutōda (pro tutuda) = tutudi); eadem lex reduplicationis est in lingua latina; in lingua gothica, in qua praeteritum eorum verborum, quorum vocalis natura longa est vel in quibus vocalis *a* positione producitur, syllabam reduplicatam integram servavit, reduplicatio ita efficitur, ut consonae initiali diphthongus ai (= ει) addatur (cf. haihait, germ. vet. hiaz, pro hihaz, i. e. hiess, saislêp, germ. vet. sliaf, slief). Puto igitur, ut exemplo utar, ϝείϝοργα antiquissimam formam perfecti fuisse, ex qua primum ϝέϝοργα, tum ἔϝοργα, denique ἔοργα ortum sit. Digamma syllabae reduplicatae evanuisse mirum non est, quippe cum plurimae voces, quae a binis consonis incipiunt, consonas initiales reduplicationis vel firmissimas abiciant. Iure enim Boppius contendere videtur, omnia perfecta linguae graecae antiquissimis temporibus reduplicatione usa esse[1]). Iam ἕστηκα pro σέστηκα dici ex spiritu aspero apparet; in inscriptione quadem Milesiaca legitur ἀφέσταλκα[2]), ex quo intellegitur ἔσταλκα ex ἔσταλκα pro σέσταλκα ortum esse. Quamobrem etiam voces ἔψαλκα, ἔφθορα al. ex πέψαλκα, πέφθορα explicandae sunt. Quid, quod etiam ε illud, quod partes reduplicationis agit, in nonnullis vocibus omittitur, ut ex εἶμαι, quod pro ϝέσμαι (ex ἔϝεσμαι i. e. ϝέϝεσμαι) legitur, apparet; etiam in voce Homerica δέχαται tota reduplicatio evanuit.

Homerum digamma in initio vocum, quae cum praepositionibus coniunguntur, non neglexisse et ex legibus metricis et ex hiatu non ferendo cernitur. Iure igitur Beckerus lectiones proposuit ἐϛϝιδε, προϝιδών, ἐκϝειπεῖν, παρϝειπών, διαϝειπέμεν, ἐκϝερέω, ἐϛϝερύσαντες, προϝέρυσσεν, ὑπόϝειξεν, ἀποϝέργει, ἐπιϝάνδανε, καταϝειμένον, καταϝείνυον, ἐπιϝίστορα, ἐπιϝελπόμενος, περίϝοιδε, διαϝείδεται, περιϝάγνυται, περιϝήχησεν, ἀμφιϝελίσσας, ἀμφίϝεσεν, ἐπιϝήρανα, ἐπιϝεικτός al. Neque in aliis compositis digamma omittitur, ut ex hiatu apparet; ita a radice ϝεργ (ϝέργον) hae voces compositae exeunt: κακοϝεργός, εὐϝεργής, εὐϝεργεσία, ὀβριμοϝεργός, ταλαϝεργός, κλυτοϝεργός; a radice ϝεπ (ϝέπος)[3]): ἀμετροϝεπής, ἀφαμαρτοϝεπής, ἀπτοϝεπής; a radice ϝιδ (ϝεῖδος): ἠροϝειδής, ἀλλοϝειδής, θεοϝειδής, μυλοϝειδής; a radice ϝετ (ϝέτος): ἐπηϝετανόν, ἑξάϝετες, εἰνάϝετες, τρίϝετες, ἑπτάϝετες, αὐτόϝετες, πεντάϝετες, πενταϝετηρόν; a radice ϝιδ (scire): πολυϝιδρείη, πολύϝιδρις, Πολύϝιδος; a radice ϝαδ (s. σϝαδ cf. ἡδύς): μελιϝηδής; a radice ϝανακ: Καλλιϝάνασσα; a radice ϝες: κακοϝείμων; a radice ϝικ (cedere): μενοϝεικής; a radice ϝαρν: πολύϝαρνι; praeter eas voces leguntur πολυϝηχής, δυϛϝηχής, ἐρίϝηρες, Κακοϝίλιος, θεοϝεί-

[1]) Cf. Bopp. Vergl. Gramm. § 600 seq. [2]) Cf. Buttmann. Ausf. Gramm. § 83.
[3]) Cf. Mützel. Zeitschr. f. G. 1861, I, p. 72, q. l. A. Goebelius de radice ϝεπ agit.

κελος. Neque tamen Homerus formas contractas omnino fugit, id quod apparet ex vocibus Λυκοῦργος (cf. Il. VI, 134; contra Il. VI, 130, VII, 142, 148 legendum est Δυκόϝεργος), θεουδὴς (cf. Od. VI, 121, XIX, 364); vocem θεουδὴς Buttmannus et Hoffmannus[1]) falso ex θεοϝδὴς explicant; putant enim vocem θεουδὴς ex θεὸς et δϝὴς, quod ad verbum δείδω et nomen substantivum δέος reducendum sit, compositam esse.

Iam quod ad usum digammatis in mediis vocibus et in declinationibus nominum et verborum attinet, antiquissimis temporibus eam literam neglectam non esse et ex inscriptionibus et ex testimoniis grammaticorum cognoscimus. In antiquissimo titulo Crissaeo leguntur κλέϝος et αἰϝεί (cf. C. I. nr. 1), in galea Iovis Argivorum legis τωῖ Διϝί (C. I. nr. 29), in alio titulo Argivo πεδάϝοικοι i. e. μέτοικοι (C. I. nr. 19). Digamma vel pleonastice additum est in voce Βακεύϝαι (C. I. nr. 1369). Priscianus refert, Alcmanem scripsisse δάϝιον πῦρ seque ipsum Δημοφάϝων, Λαϝοκόϝων in epigrammatibus legisse[2]). Idem Graecis voces ὄϝις, Δᾶϝος, ὠϝὸν tribuit[3]). Pindarum dixisse ἀϝάταν i. e. ἄτην constat; Lacones Hesychio teste ἀγατᾶσθαι (l. ἀϝατᾶσθαι dixerunt[4]). Dubitari igitur non potest, quin antiquissimis temporibus Graeci pronuntiaverint ὄϝις, ὠϝόν (Dor. ὤβεα), αἰϝεί, ἀϝίδιος, αἰϝών (cf. sanscr. êvas, lat. *aevum*, *aetas* (i. e. aevitas), goth. aivs), ὕλϝη (cf. silva), ὀλϝαί (οὐλαί, ὀλαὶ), λαϝὸς, δῖϝος, νέϝος (sanscr. navas, lat. *novus*), ἔννεϝα (sanscr. navan, lat. *novem*), δαϝὴρ (sanscr. dêva, lat. *levir*), σκαιϝὸς (sanscr. savyas, lat. *scaevus*), λαιϝὸς (Cretensium fuit λαίβα scutum), κρέϝας (sanscr. kravyam, lat. *cruor* goth. hraiv), ὄγδοϝος (octavus), κληϝὶς (κλεὶς, κλείω pro κλεϝίω, Dor. κλᾶϝις, cf. clavis, claudo), τῆϝος (τέως, sanscr. tāvat), ἦϝος (sanscr. yāvat, ἕως, Homerus ἦος offert, Dorienses ἄς). Ita in voce Λαϝοκόϝων radix κοϝ inest, unde κοέω, κοννέω (aspicere, considerare) deducuntur, κοος pro κοϝος (sanscr. khav *apparere*, khavis *splendor*) in θυοσκοὸς legitur. Ceterum digamma iam aetate Homeri in omnibus iis vocibus, quas attulimus, evanuisse videtur, sed vocales, inter quas digamma priscis temporibus fuit, non contrahi, sed diaeresi sciungi solent; voci πάϊς tam saepe diaeresis est, ut fere putaverim, Homeri aetate πάϝις pronuntiatum esse; in vasis quidem legitur ποῦς vel παῦς (cf. sanscr. push); simili modo ἀΐω pro ἀϝίω (sanscr. avâmi *faveo*, lat. *au-dio*), ἀΐτας pro ἀϝίτας dicitur. Quid, quod etiam in lingua latina u consona in mediis vocibus tam infirma fuit, ut, nisi evanesceret, synizesi duarum syllabarum non obstaret[5])?

Arctissime autem, ut in lingua latina *v* et *u*, quas literas Romani eodem signo significabant, in lingua Graeca ϝ et υ inter se cohaerent, quo factum est, ut saepissime digamma in mediis vocibus et post consonas in vocalem υ mutaretur, non raro autem digamma inter vocales pro vocali υ adhiberetur, deinde plane abiceretur[6]). Litera υ pro digammate legitur in his vocibus: δύω (sanscr. dva, goth. tvai, lat. *duo;* in δὶς pro δϝὶς, δισσὸς pro δϝιτϳὸς, διὰ pro δϝιὰ digamma evanuit, in δοιὴ, δοιὸς in ο abiit), κυέω, κυίσκω sim. (sanscr. śvi *crescere*)[7]), ἄρουρα (descendit a stirpe ἀροϝ cf. ἀρόϝω s. ἀρόω, Hes. Ἔργ. v. 22 ἀρῡμέναι pro ἀρουμεναι legitur), χαῦνος (a rad. χαϝ, unde χάος pro χάϝος, χαίνω oriuntur), εἰλύω (lat. *volvo*), κωλύω (lat. *calvi*) al. Saepissime ex ϝ in υ mutato vocali praecedente diphthongi αυ, ευ, ου efficiuntur, id quod maxime in dialecto Aeolica

[1]) Cf. Buttmann Lexil. I, p. 170, Hoffmann l. l. § 85. [2]) Cf. Prisc. I, p. 2 (ed. Krehl).
[3]) Cf. Prisc. VI, p. 264. [4]) Cf. Ahrens. de dial. Dor. p. 55.
[5]) Cf. Schneider. Ausf. Gr. p. 361. Corssen l. l. I, p. 137.
[6]) Cf. Pohl: de digammate Homer. carminibus restituendo I, p. 14. [7]) Cf. Curtius l. l. I, 71.

fit, ut ostendunt voces ex ea dialecto petitae αὔηρ (pro ἀϝηρ), αὔελλαι, αὔως (pro αὔσως, a radice sanscr. ush *urere;* Dorienses ἀβὼρ pro ἕως pronuntiarunt), παραύα (cf. οὖς), φαῦος (Pamphyliorum fuit φάβος pro φάος), ναῦος (νεὼς), αὐιδετοῦ, αὔρηκτος, εὐράγη, εὐάλωκεν, εὐείρω (ἀείρω), εὐέθωκεν, εὔληρα (αὔληρον), Doriensium fuit ἄβληρον a rad. ϝελ, cf. *lorum* i. e. vlorum)[1]. Eodem modo υ pro ϝ legitur in vocibus Homericis καλαῦροψ, ταλαύρινος, ταναύποδες i. e. ταναϝόποδες (tanu, cf. sanscr. tanômi, gr. τάνυμαι). Ita καύαξ s. καύηξ (κάηξ), avis rapacis nomen, legitur pro κάϝαξ, ζόυιον s. ζόυον (animal), quam vocem Hesychius tradit, pro ζόϝιον (nititur radice ζοϝ *vivere*). — Metathesi adhibita tali modo ortae sunt voces ἀμαυρὸς (*obscurus* pro ἀμαρϝος), παῦρος (i. e. παρϝος), γαῦρος (i. e. γαρϝος, sanscr. garv = superbum esse), γουνὸς ex γονϝος (aeol. γόννος, γόνυ = sanscr. ǵanu), δουρὸς ex δορϝος (δόρυ, sanscr. daru), νεῦρον ex νερϝον (sanscr. snar, lat. *nervus*). Genetivus substantivorum in εύς exeuntium fuit vel ευος, quam formam Aeoles in voce Ἄρης, cuius genetivus erat Ἄρευος, servaverunt, vel εϝος. quae forma digammate omisso in εως vel ηος mutata est; ex βασιλέϝος βασιλέως et βασιλῆος oriuntur. Patet igitur voces Πηλείδης, Ἀτρείδης al. ex ΠηλεϝίδηςΠηλεϝίδης, Ἀτρεϝίδης effici, ut βασίλειος ex βασιλεϝιος. Genetivus vocis βοῦς (sanscr. gaus, a radice gô, *bos*, *terra*, unde γαῖα pro γαϝια descendit) antiquissimis temporibus fuit βοϝός; in inscriptionibus Boeoticis leguntur βούων, βούεσσι[2]); eodem modo genetivus γραὸς ex γραϝὸς explicandus est. Ita vox ἀκοὴ (ἀκου-ὴ) ex ἀκοϝὴ orta est. Ex vocibus Homericis λοετρὸν, λόε, λοέσσαι, λοεσσάμενος (pro λοϝετρὸν, λόϝε etc.) apparet, λούω ex λόϝω explicandum esse (cf. *lavare*).

Haud raro digamma ex vocali υ sic ortum est, ut vocali υ, quo maiorem vim haberet, vel ε, vel ο, vel α adderetur (quae aucta vis vocalis in lingua sanscrita vocibus *guṇa* et *vriddhi* significatur)[3]); ita ex radice πλυ factum est πλευ, quod ante vocales in πλεϝ mutatum est. Quum igitur digamma evanesceret, factum est, ut vocales, quibus vis vocalis υ augetur, servatae sint, vocalis autem υ saepissime ne minimum quidem vestigium reperiatur. Huc pertinent hae radices:

1) ῥυ pro σρυ, sanscr. sru, lat. *ru*, slav. stru (ostrovu *insula*), unde deducuntur ῥέω pro ῥέϝω, aeol. ῥεύω, sanscr. sravâmi (cf. ῥεύσομαι, ἔῤῥευσα, ῥεῦμα, ῥόος pro ῥόϝος, ῥέεθρον pro ῥεϝεθρον; in inscriptione Corcyraea legitur ῥοϝαῖσι[4]).

2) πλυ, sanscr. plu, lat. *plu*, ad quam radicem pertinent πλέω pro πλέϝω (sanscr. plavâmi, slav, plovą, cf. πλεύσομαι), πλόος pro πλοϝος (sanscr. plavas), πλώω, πλύνω[5]).

3) πνυ, unde deducuntur πνέω pro πνέϝω, πνεῦμα, πνοὴ pro πνοϝὴ al.

4) νυ pro σνυ (sanscr. snu), unde νέω pro σνέϝω (sanscr. snaumi i. e. snavâmi, goth. sniva = eo, snaivs *nix*), νεῦσις, νευστὴρ (cf. νευσοῦμαι) descendunt. Radice νυ etiam νάω pro σνάϝω (aeol. ναύω) nititur, ad quam stirpem pertinent νᾶμα, ναρὸς, Νηρεύς al. Cohaeret cum eadem stirpe ναῦς, cuius genetivus apud Aeoles fuit ναῦος, neque dubium est, quin genetivi νεὼς, ναὸς, νηὸς, νεὸς ex ναϝὸς s. νηϝὸς orti sint.

5) χυ, unde χέω pro χεϝω (χεύσω et ἔχευα pro ἔχευσα Ionum sunt, futurum χέω ex χέσω pro χεϝσω et aoristus ἔχεα ex ἔχεϝσα digammate omisso oriuntur), χεῦμα, χοὴ pro χοϝὴ, χόος pro χοϝος, χύσις al. descendunt.

---

1) Cf. Ahrens de dial. Aeol. p. 37 seq.
2) Cf. Ahrens de dial. Aeol. p. 171.
3) Cf. Schleicher, Lautlehre p. 55.
4) Cf. Savelsberg. l. l. p. 7.
5) Latinos dixisse *flovont* i. e. fluunt, *conflovont* exposuit Corssen l. l. p. 250.

6) θυ, ad quam radicem pertinent θέω pro θέϝω (cf. θεύσομαι), sanscr. dhâvâmi, θοὸς pro θοϝός.

7) κλυ, sanscr. śru pro kru, lat. *clu*, cui radici praeter κλύω (sanscr. śṛnômi[1]) tribuendae sunt voces κλείω pro κλεϝίω, κλέομαι, κλεινὸς, κλειτὸς, κλέος pro κλέϝος, sanscr. śravas. Ab eadem radice descendit κλαίω pro κλαϝίω, quod sanscr. verbo causativo śrâvayâmi respondet (cf. κλαύσομαι, ἔκλαυσα).

8) κυ, quam radicem verbi καίω (pro καϝίω) esse puto (cf. καύσω, ἔκαυσα, ἐκάην pro ἐκάϝην, καῦμα); Boppius καίω cum sanscr. ćur (urere) cohaerere existimat[2]).

9) συ, unde σεύω eodem modo oritur, quo χεύω, νεύω, θεύω, δεύω apud Aeoles a radicibus χυ, νυ, θυ, δυ descendunt; σόος pro σόϝος dicitur, σοῦμαι pro σοϝομαι.

10) ξυ, a qua radice praeter ξύω, ξυρόν simil. ξέω pro ξέϝω, ξοὶς pro ξοϝις (scalprum), ξόανον pro ξόϝανον descendunt; ξέω ne in futuro quidem vestigium vocalis υ vel digammatis servavit, quamquam ξέσω ex ξέϝσω vel ξεύσω explicandum est, ut χέω (i. e. χέσω) ex χέϝσω s. χεύσω.

11) Radice δυ, sanscr. du *vexare*, *dolere* (cf. ὀδύνη, δύη) niti videtur δεῖ (δεήσει, aeol. δεύω); Homerus voces δεύομαι, δευήσομαι, ἐδεύησε servavit; δευήσομαι, ἐδεύησε simil. stirpe causativa δεϝε niti videntur.

12) A radice θυ, unde α addito oritur θαϝ, descendnnt voces θαέομαι (θησαίατο), θεὰ pro θεϝὰ, θέατρον, θαῦμα, θαυρός al. cf. Curtius Gr. Etym. I, nr. 308.

13) Radix στυ, quae vocali adiecta fit σταϝ vel στεϝ, inest in vocibus στεῦτο, σταῦρος, στέαρ pro στεϝαρτ. Ad eandem radicem pertinent στύω, στοὰ pro στοϝὰ, στόος pro στόϝος, στῦλος (cf. Curtius l. l. I, nr. 217, 228).

14) Radice δυ, ex qua α addito fit δαϝ, niti videntur voces δαίω pro δαϝίω (δέδηα), δαΐς, δαλός, quum Hesychius glossas δεδαυμένος, δάβει (καύεται), δαβελός (δαλός) praebeat et Alcman voce δάϝιος pro δήιος utatur (cf. fr. 75 πῦρ δάϝιον).

---

[1]) Bernhardtius l. l. p. 12 optime iudicat, vocem λαὸς, quam, ut goth. lauths, Benfeius et alii ad radicem sanscr. ruh pro rudh (crescere) reducnnt, ad radicem κλυ pertinere; putat enim, λαϝὸς pro κλαϝὸς (ut λισχρὸς ex γλισχρὸς, λὰξ ex κλὰξ, lat. *calx*, oritur) dici; λαοὺς nostra lingua reddit „die Hörigen". Digamma vocis λαὸς cognoscitur ex λαναγήτα (C. I. 1466) et ΛαϝοκόϝωΝ; eandem vocem in initio consonam amisisse, ex vocibus Ἰόλλας, Χάριλλος (Χαρίλαος), Πέριλλος, Θράσυλλος simil. apparet; cf. Lobeck. Prolegg. p. 130. Zeitschr. f. vergl. Spr. VII, 330:

[2]) Welckerus Cabiros illos duos, qui mysteriis Samothraciis celebrabantur, a κάειν (καϝέιν) dictos esse contendit, cum sint ardentes ignes, qui nautis tempestate pressis auxilium ferre dicantur. Sed quamquam Welckeri, praeceptoris maxime mihi colendi, auctoritatem cum in aliis rebus, tum in mythologicis plurimi facio, tamen eam sententiam amplecti dubito. Vix credibile est, digamma iam antiquissimis temporibus in β mutatum esse; et alii Cabiri, qui a Samothraciis differunt, iam ab antiquissimis temporibus in insula Lemno divinis honoribus afficiebantur. Atque Pherecydes deam Καβειρώ commemorat. Cum vero Cabiri in inscriptionibus θεοὶ μεγάλοι et θεοὶ δυνατοὶ dicantur et Cicero, Varro aliique scriptores eos nominibus Iovis et Iunonis, vel Coeli et Terrae significent, facere non possum, quin nomen Cabirorum a linguis Semiticis petam. Est enim kabir vox Phoenicia (significat *magnus*, hebraic. *kabir* magnus, *kabirim* magni, *gebar* δυνατός). Et quum Mnaseas quattuor Cabiros numeret, quorum nomina sunt Axieros, Axiokersos, Axiokersa, Casmilos, etiam voces Κέρσος et Κάσμιλος originis Phoeniciae esse putaverim. Κάσμιλος, i. e. Κάδμιλος fortasse cum voce hebr. *kadam* (*kdm*, auxilio obviam ire, praeire, kedem = oriens) cohaeret. Quid mirum, quod Phoenices navigandi peritissimi deos magnos tempestatibus ortis invocaverunt et insulae, quas saepe adibant, cultum illorum acceperunt? Errant quidem non minus ii, qui Graecos omnino a cultu populorum orientis abstinuisse opinantur, quam ii, qui in omnibus rebus mythologicis vestigia cultus Asiatici agnoscunt. Miror autem, quod O. Müllerus testimoniis Herodoti, cui in aliis rebus nullam fere fidem habet, adductus cultum Cabirorum a Pelasgis inductum esse statuit. Cf. Welcker Gr. Götterl. I, p. 328 seq. II, p. 429.

15) A stirpe γαϝ oriuntur γαίω pro γαϝίω (γέγηθα), γηθέω, γάνυμαι pro γάϝνυμαι, ἄγαμαι pro ἀγαϝίομαι, ἀγαυός simil., ut Curtius recte iudicat (cf. gaudeo)[1]).

Multi putant, etiam in casibus obliquis substantivorum et adiectivorum in υς et υ exeuntium υ in digamma, cui vocalis ε praeposita sit, mutatum esse. Explicant igitur voces ἄστεος, ἤδεος ex ἄστεϝος, ἤδεϝος. Rectius autem iudicare videntur, qui in iis vocibus υ in ε abiisse censent, praesertim quum voces ὦκα, τάχα simil., quae ut πάντη (πάντα) fortasse ad priscum casum instrumentalem pertinent et pro ὠκϝα, ταχϝα leguntur, illi rationi eas voces explicandi obstent. Simili modo terminatio feminina εῖα adiectivorum in υς exeuntium ex ϝια s. υια orta est; ἡδεῖα igitur ex ἡδϝια (cf. sanscr. svâdvî ex svâdvyâ) efficitur, non ex ἡδεϝια[2]).

Iam quod ad syllabas q. d. suffixas, quae vocibus componendis adhibentur, attinet, in iis, quae antiquissimis temporibus a digammate inceperunt, pauca tantum vestigia eius literae reperiuntur. Syllaba suffixa *va*, cuius usus in lingua sanscrita latissime patet, a Graecis multo minus, quam a Romanis, qui *va* in *uo* mutare solent[3]) (cf. perspicuus), adhibita est; verisimile est eam in vocibus ἴδυοι s. βίδυοι (a rad. ϝιδ), νεῦρον pro νερϝον, θόρυβος pro θορυϝος inesse. Terminatio τέος adiectivorum verbalium cohaeret cum sanscr. tavyas, quo participia futuri passivi efficiuntur (paktavyas = πεπτέος, lat. *tivus* in v. *captivus*, *dativus* al.)[4]); quum τέος ex τεϝος oriatur, non est mirum, quod vocales εο non contrahuntur. — Participio perfecti activi antiquitus syllaba suffixa ϝοτ (sanscr. vans — vat) fuit; ita λελυκώς ex λελυκϝοτς explicandum est; terminatio autem feminina υῖα ex ϝοτια, quod in ϝοσια abiit, syllaba ϝο in υ contracta et σ abiecto orta est (sanscr. *ushî*, τετυφυῖα respondet sanscr. *tutupúshî*)[5]).

Denique syllaba suffixa εις (εσσα, εν), qua ex substantivis adiectiva possessiva efficiuntur, ex ϝεντ (ϝετϳα, ϝεν) orta est (cf. sanscr. vant s. vat in antavat *fine praeditus*, marutvat *mente praeditus* al.)[6]). Ita dicuntur δολόεις, δακρυόεις pro δολοϝεντς, δακρυοϝεντς (cf. lat. *ôsus* ex *vonsus*, *vosus* in *dolosus*, *laboriosus*, *lens* ex *vens* in *opulens* al.). In inscriptione Corcyraea vox στονόϝεσσαν servata est[7]). Digamma autem effecit, ut in substantivis, quae in consonam vel in vocales ι, υ exeunt, inter stirpem et syllabam suffixam vocalis ο interponeretur (cf. πυρόεις, δακρυόεις, μητιόεις (i. e. μητιοϝεντς); simili modo voces βοότροχος, νηοφόρος ex βοϝότροχος, νηϝοφόρος explicandae sunt.

Constat Dorienses in mediis vocibus pro digammate β pronuntiare solitos esse. Hesychius glossas exhibet: ἀάβακτοι pro ἀάατοι, ἀβείδω pro ἀείδω, ἀβέλιος pro ἀέλιος (ἥλιος a rad. sanscr. svar s. sur *fulgere*), αἰβετὸς (ἀετός), ἀκροβᾶσθαι pro ἀκροᾶσθαι (sanscr. śru *audire*), θαβακὸς (θακὸς), ἐξωβάδια (ἐνώτια) al. Etiam in vocibus κλωβός, κλωβίον, ὄλβος (lat. *salvus*), ὄροβος (cf. ervum), σοβέω (σεύω), νεβρός i. e. νεϝορός, φλοῖσβος, Θίσβη, ἀλίσβη (pro ἀλιτϝὴ *fraus*) ἐπίβδα (*dies post festum* pro ἐπιδιϝα), ἥβη al. β cum digammate cohaererere videtur[8]). Sunt, qui putent, etiam Homerum digamma in vocibus Ἀκρόνεϝος, Ἀναβησίνεϝος, Πηνέλεϝων, ἄνεϝω,

---

1) Cf. Curtius l. l. I, nr. 122. 2) Cf. Schleicher l. l. p, 184.

3) Etiam v. *Minerva* syllabam suffixam va habere videtur, sed va in ea voce sanscr. vatî (a vant s. vat) respondet; significat enim Minerva mente praeditam (miner pro mines respondet sanscr. manas, μένος, mens).

4) Cf. Bopp. Vergl. Gr. § 903. 5) Cf. Bopp. l. l. § 786 seq. Curtius, Gr. Gramm. § 188.

6) Cf. Bopp. l. l. § 957. 7) Cf. Aufrecht. Zeitschr. f. vergl. Spr. I, p. 119.

8) Cf. Curtius G. E. II, p. 158 — 164.

(a stirpe αὔω), γάλοϝως, Ἄθοϝω, Θόϝωσα (descendit a θέω i. e. θέϝω) servasse[1]); sed certis argumentis demonstrari non potest; Homerum autem pro ἡμίσεων ἡμίσεϝων pronuntiasse, pro ἄστεος ἄστεϝως, ut Benfeius, Ebelius alii volunt, vix credibile est[2]).

Non raro digamma assimilatione consonarum q. v. in aliam consonam mutatum est; ita ἵππος ex ἵκϝος (sanscr. aśva), ὅππως ex ὅκϝως, τέσσαρες (τέτταρες) ex τετϝαρες (sanscr. ćatvâras, lat. *quatuor*), πολλός (πολὺς) ex πολϝός, φέγγος ex φενϝος (cohaeret cum φάος pro φαϝος, ut βένθος cum βάθος) orta sunt. Iure igitur Boppius τόσσος, ὅσσος, πόσσος sim., quas voces alii ad sanscr. tâvant (*tantus*), yâvant (*quantus*) referunt, ex τόσϝος, ὅσϝος, πόσϝος explicat; σϝο cum sendica voce *shva* cohaeret, quae partem aliquam significat, ut in trishva (*tertia pars*), ćathrushva (quarta pars); πόσσος significat igitur „quam partem habens", τόσσος „eam partem habens." Memoria digammatis omnino obliterata τόσσος, ὅσσος, πόσσος in τόσος, ὅσος, πόσος mutata sunt[3]).

Etiam terminatio σσι dativi pluralis tertiae declinationis assimilatione, quae dicitur regressiva, ex σϝι orta est[4]). Quae terminatio vocali auxiliari ε assumpta cum stirpibus vocum coniungi solet. Homerus has voces praebet: ϝεπέεσσιν pro ϝεπέσεσσιν, ἠιόνεσσι, πόδεσσιν, ὀίεσσι, Γιγάντεσσι, Φαιήκεσσι, Κικόνεσσι, Κυκλώπεσσι, ἄνδρεσσι, νεκύεσσι, κλαιόντεσσι, μνηστήρεσσι, πλεόνεσσι, νιφάδεσσι, Δολόπεσσι, πάντεσσι, περικτιόνεσσι, λιμένεσσι, πολίεσσιν. Etiam apud Aeoles longior terminatio εσσι saepius quam brevior σι invenitur; leguntur enim in titulis Aeolicis et in carminibus Alcaei et Sapphus ἐλθόντεσσι, ἐόντεσσι, διαλυσίεσσιν, ὀππάτεσσι, νάεσσι, βούεσσι, χαρίτεσσιν al.[5]). Neque Dorienses eam terminationem plane reliquerunt; quae sola reperitur in decreto Amphictyonum (C. I. nr. 1683), ubi ἱερομναμόνεσσι, πάντεσσιν al. leguntur; etiam Epicharmi fragmenta illam solam offerunt, leguntur ῥίνεσσι, γυναικάνδρεσσιν al.; in tabulis Heracleensibus terminatio ασσι(ν) sola reperitur; offerunt enim voces πρασσόντασσιν, ἔντασσιν (pro οὖσιν), ὑπαρχόντασσι, ποιόντασσιν[6]). Sed iam antiquissimis temporibus brevior quoque terminatio iisdem vocibus adhibita est, id quod ex voce Φαίηξι, quae legitur Od. VII, 62, apparet. Atque ποσσὶν ex ποδσὶν ortum est; etiam ἔπεσσιν, ὄρεσσι, τεύχεσσι terminationem σι praebent, quum prius σ stirpium sit. Et constat iam ab antiquissimis temporibus stirpes, quae exeunt in α et ο (primae et secundae declinationis) sola terminatione σι uti. Iam vero patet, terminationem σσι (vel σι) a casu locali linguarum cognatarum esse repetendam. Terminatio enim casus localis eo tempore, quo linguae cognatae unam effecerunt, fuit *sva*. Lingua sendica, in qua pro *sva* shva s. hva reperitur, eam terminationem optime servavit; aśpaishva (*equis*) respondet ἵπποισιν. In lingua sanscrita ex sva *a* abiecto fit *su*, ut ex kva (*quis*) ku; śivāsu respondet θέαισι, naushu ναυσίν; simili modo in linguis slavicis ex sva fit *chu* (s in ch mutatur; cf. slav. kamenechu *in lapidibus*, polon. w kamieniach; slav. novêchŭ *in novis*, polon. w nowych). In lingua Graeca ex sva α in ι abeunte efficitur σϝι et ex σϝι σσι, quam terminationem stirpes in consonam exeuntes diu servarunt; stirpes in α vèl ο exeuntes σϝι, ut diximus, in σι mutaverunt, sed ea ratione ut stirpes in ο exeuntes vocali ο adderent ι (ἵπποισι respondet sanscr. aśvêshu i. e. aśvaishu), quam rationem

---

1) Cf. Corssen l. l. II, p. 364. 2) Cf. Zeitschr. f. vergl. Spr. IV, 152, VII, 123.

3) Cf. Bopp. Vergl. Gr. § 412. Aeoles quoque et Dorienses in ὅσσος, τόσσος, πόσσος sim. duplex σ retinuerunt; eodem modo Aeoles voce ἴσσος (ex ϝισϝος) pro ἶσος usi sunt, cf. Ahrens. de dial. Aeol. p. 68, de dial. Dor. p. 99.

4) Cf. Zeitschr. f. vergl. Sp. I, p. 118, Bopp. Vergl. Gr. § 252 seq. Schleicher l. l. p. 465 seq.

5) Cf. Ahrens de dial. Aeol. p. 115. 6) Cf. Ahrens de dial. Dor. p. 229 seq.

secutae etiam stirpes in ᾱ (η) exeuntes αι pro α assumunt; in nonnullis vocibus (ὥρασι, θύρασι (*foris*), Ὀλυμπίᾱσιν, Ἀθήνησιν) α vel η solum reperitur. Vides igitur casum dativum pluralis ortum esse ex antiquo casu locali. Neque vero dubitari potest, quin dativus singularis tertiae declinationis sit casus localis, cuius terminatio etiam in linguis cognatis est i (sanscr. nāvi = νηὶ pro ναϝί). Quum autem in lingua sanscrita dativus a locali ita differat, ut hic in *i*, ille in *ê* (i. e. ăi) vel *âi* exeat[1]), fortasse iure contendamus stirpes in ᾱ (η) et o exeuntes antiquam terminationem dativi servasse (cf. γνώμῃ i. e. γνωμηι, χώρᾳ i. e. χωρᾱι, οἴκῳ i. e. οἰκωι). Adde, quod forma localis integra extat in vocibus οἴκοι, Πυθοῖ, Ἰσθμοῖ, χαμαί, sicut in vocibus Doricis μέσσοι (sanscr. maidhyôi), ἔνδοι, ἔξοι, πέδοι. Et verisimile est etiam voces Homericas αὐτονυχὶ, ἐγρηγορτὶ, τριστοιχὶ, μεταστοιχὶ, ἀσπουδὶ, ἀνιδρωτὶ, ἀναιμωτὶ, ἀνουτητί, quae etiam in ει, quod ex οι ortum sit, exeunt syllabamque finalem ancipitem praebent, ad casum localem pertinere; fortasse ἀλκὶ, quod ab ἄλξ deduci solet, ex locali ἀλκαι vocis ἀλκὴ explicandum est. Contra ex producto *i* dativi apparet in lingua latina verum dativum singularis esse servatum; sed dativos pluralis primae et secundae declinationis cum locali cognatarum linguarum cohaerere puto neque dativos *mensis*, *dominis* al. ex *mensabus*, *dominobus*, ut fieri solet, explicaverim, sed ex *mensais*, *dominois*. Graeci quidem terminationem dativi pluralis (sanscr. bhyas, lat. *bus*, pitṛbhyas = patribus) omnino abiecerunt solamque formam localis servarunt. Quum igitur dativus terminationes localis susceperit, mirum non est, quod dativus apud Graecos antiquitus non modo partibus dativi et instrumentalis, sed etiam localis fungitur. Ut enim accusativus apud Homerum significat, quo quid tendat, saepissimeque praepositionibus omissis verba, in quibus notio movendi inest, sequitur, sic etiam dativus significat, quo loco quid sit. Ita Homerus scripturas offert: Ζεὺς αἰθέρι ναίων (cf. Il. II, 412 al.), Ἕλλαδι ϝοικία ναίων (Il. XVI, 595), τίετο δήμῳ (i. e. in populo honoribus affectus est cf. Il. V, 78, XVI, 605), ὄρεος κορυφῇσι, τάρφεσν ὕλης, (cf. Il. V, 554, 529[1]); τοῖσι fere adverbii loco legitur (*tum*, *ibi*)[2]); etiam verba, in quibus notio est regnandi, (ἀνάσσειν, βασιλεύειν, ἄρχειν, κρατεῖν) cum dativo vel potius locali coniunguntur, quo significetur, ubi quis regnet[3]). Vides igitur Δολόπεσσι ϝανάσσειν significare regem esse in Dolopibus. Neque raro praepositiones ἐν et μετὰ locali, qui cum illis verbis coniungitur, additae sunt[4]). Atque quum dativus sit localis, etiam praepositiones, quum adhibentur, quo accuratius locus, ubi quid sit, significetur, cum illo casu coniunguntur. Quamquam in lingua latina ablativus partes et instrumentalis et localis agit, localis autem antiquus in prima et secunda declinatione genetivi loco invenitur[5]), tamen vis localis non modo cernitur in nominibus urbium singularis numeri primae et secundae declinationis, quae cum quaeritur, ubi quid fiat, genetivum, i. e. localem requirunt, sed etiam in multis aliis vocibus. In casu enim locali sunt voces *Carthagini*, *Tiburi*, *Anxuri*, *humi*, *militiae*, *belli*, *domi*, *belli domique*, *domi militiaeque*, *terrae* (i. e. *in terra* cf.

---

[1]) Cf. Bopp. Krit. Gramm. d. Sanscr. § 127, 131. [2]) Cf Od. IX, 510, Il. XI, 57 al.

[3]) Cf. Od. VII, 11, 59, IX, 510, 552, XI, 491, XXI, 346, XXIV, 26, Il. II, 108, 643, 805, VI, 337, IX, 73, 484, XI, 57, XII, 242, XIX, 104, 122, XX, 150, XXI, 80, 188, XXIII, 358 al. Aliter de hac re iudicat. I. Ellendtius (Einige Bemerkungen über Homer. Sprachgebrauch, progr. Gymn. Regimont. 1863), qui putat, ἀνάσσειν, βασιλεύειν τινί significare *dominum s. regem esse alicuius populi s. rei*, („Herr sein über Jemanden oder über Etwas), ἀνάσσειν τινὸς *potestatem habere alicuius* („Macht haben über Etwas"). At genetivus significat *regem esse alicuius.*

[4]) Cf. Od. VII, 62, XI, 273, Il. IV, 61 al.

[5]) In adverbiis, quae in ê (i. e. ai s. oi) exeunt, localis partes instrumentalis agit (novê ex *novoi*); adverbia autem in o exeuntia ex ablativo oriuntur (raro pro *rarod*, falso pro *falsod.*)

Virg. Georg. II, 290, Aen. XI, 87, Ov. Met. II, 347), *proxumae viciniae* habitat (cf. Plaut. Bac. II, 2, 27, Mil. gl. II, 3, 2), *domi focique*, *ruri*, *tempori*, *vesperi*, *die quinti*, *die pristini*, *die crastini*, *quotidie*, *postridie* al.[1])

Sunt, qui opinentur Homero literam σ praecedente brevi vocali unoquoque loco duplicare licitum fuisse. Qui non minus falluntur, quam ii, qui apud Homerum sola arsis vi unamquamque syllabam produci posse censent. Ex carminibus enim serioris temporis nihil probari potest, quippe cum poetae epici, qui postea vixerunt, Homeri rationem dicendi artemque metricam iusto iudicio non utentes imitentur. Homeri autem aetate multas syllabas alia mensura atque posteriore tempore usas esse satis constat. Ut Ennius artem metricam Romanorum eo mutavit, quod vim vocalium fregit et imminuit, consonarum finalium auxit, certam legem duplicandarum consonarum secutus est, synizesin vocalium fere amovit hiatumque in versibus minuit, ita etiam Homeri aetate multae syllabae, quas recentiores poetae rarissime producunt, aut longae aut ancipites fuerunt. Iam quod saepissime syllabae breves ante literas liquidas producuntur, causa petenda est ex eo, quod in multis vocibus literae liquidae modo simplices, modo duplices pronuntiatae sunt. Etiam Aeoles liquidas saepissime duplicare solent, sed patet, nunquam, ubi quidem de origine vocum satis constat, duplicem liquidam non ortam esse assimilatione quadam alius cuiusdam, quae vicina erat, consonantis; nata enim sunt λλ, μμ, ρρ, νν ex λσ, μσ, ρσ, νσ, deinde μμ et νν e σμ et σν, saepissime νν, ρρ ex νj, ρj, raro λλ et νν e λϝ et νϝ[2]). Ita fit, ut etiam apud Homerum syllabae, quae videntur breves esse, in mediis vocibus ante literas liquidas saepe producantur; sed quum origo illarum vocum iam eo tempore parum nota esset, non raro pro duplice liquida simplex pronuntiata est; syllabae eiusmodi in carminibus Homericis ancipites sunt; poetae autem posterioris temporis eas correptas offerunt. Ita Homerus syllabam priorem vocis καλὸς producere solet; nec mirum, quum καλὸς s. καλλὸς ex καλjος (sanscr. kaljas *sanus*, kaljânas *pulcher*) ortum sit[3]). Αἴολος, quae vox alteram syllabam productam offert (cf. Od. X, 36), pro Αἴολjος dici videtur; ἔμμεναι ex ἐσμεναι, ἔμμεν ex ἔσμεν, φιλομμειδὴς ex φιλοσμειδής, διεμμοιρᾶτο ex διεσμοιρᾶτο oriuntur[4]). Iam quod in multis vocibus, maxime in praepositionibus et particulis, quae quasi encliticae arctissime cum vicina voce coniungi solent, syllabae finales breves ante liquidas producuntur, eo efficitur, quod multae voces, quae a liquida incipiunt, antiquitus a binis consonis inceperunt; e quibus nonnullas a digammate incepisse iam antea dictum est. Voces ῥέω (unde εὐῥρείτης, εὔῥροος, εὐῥρεῖος descendunt), ῥοῖζος, νιφὰς, νιφόεις, νότος, νότιος, νίζω, νευρὴ, νυὸς, νύμφη, λαπάρη, μιαρὸς, μοῖρα, μυρίκη a litera σ incepisse videntur, quo fit, ut saepissime ante eas breves syllabae producantur[5]). Alias voces, ante quas breves syllabae productae leguntur, a gutturali incepisse Hoffmannus statuit; huc pertinent λίσσομαι, λιτανεύω, λίται, λίθος, λιπαρὸς, λιαρὸς, λόφος[6]). De origine nonnullarum vocum a liquida incipientium, ante quas syllabae finales producuntur, nihil affirmaverim. Sunt hae voces: λῖς, λήγω, Λητὼ, νεύω, νύσσω, νύσσα, μαλακὸς, μέλι, (μελιηδὴς), μέλος (διαμελειστί cf. Od. XVIII, 339), μελίη (ἐυμμε-

---

[1]) Accuratissime de locali apud Romanos agit Ruddimannus in libro, qui inscribitur: Institutiones gramm. lat. (cur. G. Stallbaum, Lips. 1823) II, p. 270 seqq. [2]) Cf. Ahrens de dial. Aeol. I, p. 57.

[3]) Cf. Od. V, 333, VI, 18, X, 107, XI, 281, 460 al. [4]) Cf. Od. VIII, 180, 362, XII, 434, Il. III, 424.

[5]) Cf. Od. XII, 204, 104, 290, Il. XII, 159, XVI, 151, XVII, 264, XXI, 258, Od. IX, 315, III, 222, XII, 427, Il. VII, 425, IV, 118, XXIV, 166, 420, Od. IV, 753, X, 16. Il. X, 466. [6]) Cf. Hoffmann l. l. p. 107—165.

λίης; φερεμμελίης apud Mimnermum C. 12, 4 ed. Schneidew. legitur), μέλινος, μορόεις, μάρπτω, ῥυπόω[1]). At producuntur syllabae breves ante voces μέγας, μεγαλήτωρ, μέγαρον, λέκτρον, νέφος, μάλα, μήτηρ[2]), in quibus ex linguis cognatis ne minima quidem vestigia binarum consonarum initialium apparent. Quum autem in iis vocibus, quas a binis consonis antiquitus incepisse certum est, postquam prior consona evanuit, litera liquida pronuntiandi ratione tantam vim habuisse videatur, ut syllabae breves ante eam ancipites essent, factum est, ut syllabae finales breves praepositionum aliarumque vocum, quae arctissime cum vicina voce coniungebantur, etiam ante simplicem liquidam, quae post illas voces sonum geminatae videtur habuisse, saepe producerentur; etiam voces πρὶν, μὶν, κὲν et syllabae finales adverbiorum ἄταρ et πάλιν apud Homerum ancipites sunt[3]). Quod tertiae personae pluralis praeteritorum obiectivi syllaba ultima in carminibus Homericis ancipiti utuntur, mirum non est, quum eae antiquissimis temporibus in ντ exisse videantur (λυσαν ex λυσαντ explicandum est), quam analogiam secutus Homerus etiam syllabas finales primarum personarum obiectivi non raro productas offert[4]), quamquam in iis nulla consona excidit. Constat etiam in dialecto Dorica tertias personas pluralis praeteritorum obiectivi penultimam acuisse[5]). Voces ἐλλαβεν, ἔμμαθεν, quas Homerus servat, ex λέλαβε, μέμαθε ortae videntur[6]).

Quod ad alias duplicationes literarum consonarum attinet, duplex τ in voce ὅττι legitur; neutrum enim pronominum antiquitus litera τ usum est, quo fit, ut ὅ pro ὅτ legatur (cf. *quod*, *quid*, sanscr. yat, kat, goth. hva pro hvat)[7]). Duplex π in vocibus ὅπποτε, ὅππόθεν, ὅπποσος, ὁπποῖος, ὁππότερος, ὅππως, ὅππη assimilatione ex κϝ ortum est[8]). Duplex σ apud Homerum legitur in voce μέσσος pro μεδϳος (sanscr. madhjas), in vocibus τόσσος, ὅσσος, πόσσος simil., in dativis pluralis tertiae declinationis, denique in futuro et aoristo primo multorum verborum. Ex exemplorum immenso numero haec afferre placet: ἔσσεται, ἐσσεῖται, τέλεσσαι, ξέσσε, τρέσσε, νείκεσσε, ϝέρυσσαν, ὀμόσσαι, ἕσσε (ϝέσσε), κορεσσάμενος, αἰδεσσόμενος, κύσσε, καλέσσε, γέλασσε, τανύσσαι, πετάσσας, δαμάσσας, ξυμφράσσατο, ξεινίσσομεν, κτεατίσσας, τοξάσσεται, κόμισσεν, ἐνέπασσεν al.[9]) Iam patet ἔσσομαι ad radicem ἐς, ἔσσω ad rad. ϝες pertinere; ex quo sequitur, ut in iis vocibus accedente altero σ terminationis antiquitus duplex σ fuerit. Eodem modo duplex σ in verbis, quae in futuro et aoristo ante σ brevi vocali ε utuntur, explicare possis; ita τελέω, quod a stirpe τελες deducendum est, ex τελεσέω oritur; formam τελείω, quae ex τελεέω efficitur, Homerus servavit; eodem modo τρέω ad radicem τρες (sanscr. tras), νεικέω ad rad. νεικες, αἰδέομαι ad rad. αἰδες (s. αἰδος) pertinet. Sed quomodo de duplice σ omnium illarum vocum statuendum sit, lingua sanscrita docet, in qua futurum secundum, quod Graeco respondet, ita oritur, ut futurum verbi substantivi syāmi (i. e. sjāmi) stirpibus verborum addatur[10]) (cf. dāsyāmi = δώσω).

---

1) Cf. Il. XI, 239, 480, IX, 191, Od. XII, 325, Il. XXIV, 607, Od. IX, 490, XIV, 485, Il. XXIII, 485, IX, 618, XVII, 17, Od. XVIII, 339, XXIII, 339, Il. XIV, 183, Od. X, 116, XXIII, 115 al.

2) Cf. Od. IV, 734, 763, VI, 62, X, 247, 338, 479, XII, 436, XXIII, 153, Il. II, 143, VII, 462, Od. XVII, 32, IX, 146, XI, 373, Il. XIV, 492 al.

3) Cf. Od. XIII, 192, XI, 376, Il. XVIII, 243, Od. V, 109.

4) Cf. Od. X, 47, 269, Il. II, 548 al.

5) Cf. Ahrens de dial. Dor. p. 300.

6) Cf. Od. V, 325, XVIII, 362, Il. III, 34 al.

7) Cf. Od. IV, 600, XVII, 317, Il. VI, 177 al.

8) Cf. Od. IV. 633, XIV, 47, 89, 329, XVIII, 46, XXI, 342, Il. III, 71 al.

9) Cf. Od. IV, 244, 462, 577, 644, 756, 780, V, 179, 245, VI, 138, VII, 190, XIV, 46, 388, XVII, 39, 529, 542, XIX, 147, XXI, 171, XXII, 77, 225, XXIV, 397, Il. II, 183, 392, III, 38, 126, 279, 352, XII, 522, XXIII, 761, 784 al.

10) Cf. Bopp. Sanscr. Gr. § 329, 440.

Vides igitur σσ in futuro et aoristo e σj ortum esse; j in ι abiit in Doricis futuris πραξίομεν, χαριξιόμεθα, συνδιαφυλαξιόμεθα, βοαθησίω, προλειψίω al. Plerumque autem j in ε abiit; ita oritur ἐσσοῦμαι ex ἐσσέομαι (ἐσσjομαι), κομιῶ ex κομισέω[1]). Homerus autem, ut Aeoles[2]), σj in σσ mutat, aut j abiecto formas futuri vulgaris offert. — Quod voces, quae in ις et υς exeuntes ante σ literam dentalem abiecerunt, saepissime syllabam finalem productam praebent, nemo mirabitur, substantiva autem, quae in υς desinentia sunt oxytona, antiquitus syllabam υς productam habuisse duxerim. — Sed ad digamma literam revertamur.

Restat, ut commemoremus, in genetivo et dativo dualis vocum in consonam vel ι et υ exeuntium vocali ο, quae ante terminationem ιν legitur, indicari ante ιν consonam excidisse. Terminatio ιν cohaeret cum sanscr. *bhyâm*, quae est terminatio instrumentalis, dativi, ablativi dualis (pitṛbhyâm = πατέροιν). Quum enim pro bh in lingua Graeca φ reperiatur (cf. bhâ *splendere* = φα in φάω, φαίνω, φημί, bhuǵ *flectere* = φυγ (φεύγω), bhû *esse* = φύω, *fui;* bhṛ i. e. bhar = φέρω, bhrû = ὄφρυς), ex bhyâm (pron. bhjâm) oritur φιν; φ autem, priusquam omnino evanuerit, in digamma abiisse verisimile est. Adde, quod consonam antiquitus in iis vocibus ante terminationem ιν fuisse etiam ex Homero apparet, quippe qui scripturas σταθμοῖιν, ὤμοιιν, ἡμιόνοιιν, Σειρήνοιιν, βλεφάροιιν, ἀλλήλοιιν, ποδοῖιν, ἀμφοτέροιιν, ἵπποιιν, τοῖιν simil. praebeat[3]). Quomodo autem litera φ syllabae φι(ν), quae terminatio stirpibus addita vocibus vim genetivi et dativi singularis et pluralis tribuit, mutata sit et quae ratio intercedat inter literam φ et digamma, exponere in aliud tempus differo.

---

1) Cf. Ahrens de dial. 89.Dor. p. 2) Cf. Ahrens de dial. Aeol. p. 65.

3) Cf. Od. VI, 19, 219, VII, 2, VIII, 124, XII, 52, 167 XVII, 490, XVIII, 38, XIX, 444, XX, 327, Il. V, 107, 207 622, XI, 110, XIX, 396, XXIII, 770 al.